

Sequuntur distinctiones 33 et 34.

Circa distinctiones 33 et 34, in quibus Magister inquirat qualiter proprietates distinctivae personarum se habent ad personas et ad essentiam divinam, quero utrum 'Patrem in divinis generare et habere Filium' sit aliquod intelligibile complexe significabile distinctum a Patre ab omnibus entibus incomplexe nominaliter significabilibus. Quod sic, quia in creaturis est huiusmodi intelligibile distinctum. Probatur, quia omnis entitas incomplexe significabilis est Deus vel causabilis a solo Deo. Sed 'Socratem gignere vel habere Platonem Filium' [278b] nec est Deus, nec factibile a solo Deo, igitur etc. Contra, quia in divinis esset quaternitas, quia praeter essentiam et personas seu relationes incomplexe significabiles esset huiusmodi intelligibile significabile complexe, in hac questione intendo querere an complexo veridico vel falsidico, sive vocali, sive mentali correspondeat pro totali et adequato per se significato aliquod intelligibile distinctum ab entibus incomplexe demonstrativis, quae significantur per illud complexum vel aliud nomen incomplexum, licet de hoc supra quesitum sit in Prologo et distinctione secunda,

Notandum quod in hac questione accipio distinctionem large, sive pro diversitate entis ab ente, ut accipitur 10 Metaphysice, sive pro non identitate alicuius obiective intelligibilis ad aliquod obiective intelligibile, quod non identitas non est solum propter non existentiam illorum intelligibilium, sed propter aliqualem pluralitatem secundum esse intelligibile obiectivum eis correspondens.

Prima conclusio: per nullum complexum veridicum vel falsidicum, sive vocale, sive mentale, significatur aliquod obiectum intelligibile complexe distinctum ab omnibus intelligibilibus mere incomplexe nominaliter significabilibus. Probatur, quia tale obiective intelligibile aut est possibile, aut impossibile; est etiam finitum aut infinitum, est etiam positivum aut privativum, quocumque dato. Patet quod est significabile nomine possibilis vel nomine impossibilis.

Confirmatur, quia significatur his nominibus incomplexis intelligibile significabile obiectum totale significatum propositionis.

Dices: significatur incomplexe, sed indistincte et confuse et in communi, non autem distincte et determinate, nisi complexe, ut ‘Petrum esse album’. Contra: quia potest significari distincte, demonstrando et dicendo hoc intelligibile quicquid autem demonstratur mediante pronomine natus est habere conceptum proprium nominalem, quia pronomen dicitur eo quod ponatur pro proprio nomine.

Item, omnis conceptus communis natus est habere conceptus per se inferiores eiusdem coordinationis de quibus predicatur in quid per se primo. Si dicitur quod predicti termini equivalent complexo in significando, et ita equivalenter significant complexe, contra. Primo, saltem habetur quod huiusmodi intelligibile significabile complexe significatur per terminum vere nominalem, qui tamen non est signum veridicum vel falsidicum, nec conceptus ei correspondens, nec sufficit ad questionem vel assensum et iudicium nec opponitur contradictorie complexo et hoc sufficit contra motiva partis adversarie.

Item, vel intelligis istam equivalentiam quoad significatum, aut quoad nomen significandi. Si primum, id est quod omne intelligibile significatum per hoc complexum significatur per illa nomina incomplexa, habetur propositum, scilicet quod intelligibile significabile complexe importatur complete per signum quod est precise nominale, et non est propositio, nec oratio vocalis vel mentalis. Si secundo modo, ergo quodlibet predicabile supradictum est vere propositio significans verum vel falsum.

Item, sit *b* illud complexum cui equivalet in significando hic terminus significabile vel intelligibile vel obiectum, tunc omnis propositio in qua subiicitur huiusmodi terminus est due propositiones, quia in subiecto implicatur una propositio, scilicet *b*, et ita non erit propositio simplex per se una, si etiam de tali termino per modum subiecti formentur propositiones contradictorie quelibet illarum ex parte subiecti equivalet illi complexo affirmativo *b*, igitur non contradicunt, quia una affirmativa accipitur in utraque.

Item, pari ratione diceretur de omni nomine quod equivalet complexo in signifi- [279a] –cando et hoc est concedere propositum principale.

Preterea, ad principale per nomen et verbum simul significatur huiusmodi intelligibile significabile complexe, igitur et per sola nomina simul iuncta. Probatio consequentie, quia

nullum intelligibile significatur vel concipitur verbaliter, quin omnino idem intelligibile sit significabile et conceptibile nominaliter eque distincte, ut ‘currere’ vel ‘currens’ vel ‘cursus’. Si vero dicas quod preter rem significatam per huiusmodi nomine consignificatur tempus et subiectum per signum verbale, adhuc stat propositum quod quicquid significabilis termino verbali significabo tibi signo nominali vel signis nominalibus sine affirmatione vel negatione, et sine veritate vel falsitate; puta dicendo ‘cursus tempus’, si etiam dicas quod in signo verbali implicatur copula que significat quandam compositionem quam sine compositis non est intelligere, adhuc stat propositum, quia sint illa componentia *a* et *b*, tunc dicendo ‘cursus tempus’, subiectum compositum ex *a* et *b* significo omnino eadem que per verbum, et tamen sine affirmatione vel negatione veridica vel falsidica, ergo omnino idem adequate intelligibile significatur complexe veridice vel falsidice, et per sola nomina.

Confirmatur illud, scilicet quod omne intelligibile significatum vel conceptum verbaliter possit omnino idem significari et concipi mere nominaliter, quia omne intelligibile significabile complexe potest significari et concipi nominaliter. Sed intelligibile significatum per verbum est significabile incomplexe, quia verbum est signum incomplexum non significans, nec verum, nec falsum, primo Peri hermeneias, capitulo 3, “verba secundum se dicta nomina sunt et significant aliquid”. Sed si est aut non est, nondum significant neque ei signum est rei esse vel non esse.

Confirmatur, constat quod aliquod idem intelligibile significatur et concipitur nominaliter et verbaliter hiis signis ‘cursus’, ‘currere’ sit illud intelligibile *a*, aut igitur nullum aliud intelligibile significatur per illud verbum, et habetur propositum, quod propositio ex nomine et verbo nullum intelligibile significat, quod non significetur per sola nomina; aut ultra addit aliquod intelligibile preter *a* sit illud *b*; aut, igitur, *b* est significabile nominaliter vel incomplexe, et habetur propositum, ut prius, aut non, igitur *b* est intelligibile significabile tantum complexe. Ergo, solum verbum est propositio, et iterum cum *b* intelligibile sit additum ipsi *a*, igitur non includit *a*. Ergo, per solum verbum ‘currendi’ significatur aliquod intelligibile complexe significabile, quod non includit cursum, nec rem significatam per subiectum, quod est falsum.

Contra: sit *a* hoc complexum vocale vel mentale ‘Deus est bonus’. Tunc sic ‘Deum esse bonum’ est quoddam intelligibile significatum et conceptum formaliter per *a*. Sed non formaliter significatur per quecumque signa pure nominalia, nec formaliter concipitur per quoscumque

conceptus pure nominales, igitur. Maior patet, quia per *a* formaliter significo et intelligo ‘Deum esse bonum’ seu quod ‘Deus sit bonus’. Probatur minor, quia sint *b, c, d, e* etc. signa nominalia propria incomplexa, quarumcumque et quotcumque rerum volueris nullum istorum, nec collectum ex omnibus vel ex aliquibus istorum significat ‘Deum esse bonum’ seu quod ‘Deus sit bonus’, quia intellectus noster non intelligit formaliter ‘Deum esse bonum’ sine conceptu verbali et sine apprehensione vera vel falsa. Sola enim collectio nominum sine verbo constitueret propositionem et significaret verum vel falsum, et consequenter sufficeret ad assensum et iudicium, quod est contra Aristotelem, primo Peri hermeneias, dicentem: “nisi apponatur verbum in oratione, non significatur aliquid esse vel non esse, sicut hircocervus [279b] significat aliquid, sed quod nondum verum vel falsum sit, si non addatur esse vel non esse. Si dicitur negando maiorem quod ‘Deum esse bonum’ non est significatum istius propositionis ‘Deus est bonus’, immo est quedam propositio vel est quoddam dictum equivalens propositioni in significando, quia ‘Deum esse’ est verum. Veritas autem est proprietas complexi, vel si dicitur quod per *a* ego apprehendo formaliter aliquod intelligibile quod non concipitur per solos conceptus nominales, et illud esset ‘Deum esse bonum’ seu quod ‘Deus sit bonus’. Sed illud intelligibile est ipsam et apprehensio complexa et propositio mentalis vel dictum mentale. Contra: sumptis terminis personaliter et significative ‘Deum esse bonum’ est quoddam intelligibile significatum et apprehensum formaliter per aliquam apprehensionem et non est propositio, nec apprehensio nostra. Probo multipliciter: primo per Aristotelem in predicamentis, quod subiacet affirmationi, non est idem affirmationi ut ‘Socratem sedere’ non est idem huic orationi ‘Socrates sedet’.

Item, quod est prius aliquo et causa eius ditinguitur ab illo. Sed ‘Petrum esse album’ est prius quam veritas istius ‘Petrus est albus’ et est causa istius veritatis per Aristotelem In predicamentis, capitulo De priori, et 9 Metaphysice, non propter nos vere existimare ‘te esse album’ tu es albus. Sed propter ‘te esse album’ nos hoc dicentes verum dicimus.

Item, illud non est propositio vocalis vel mentalis quod presupponitur et preerat propositioni, et quod manet circumscripta et cessante huiusmodi propositione vel apprehensione. Sic est quod ego scio ‘Deum esse bonum’ et ‘Petrum esse album’ realiter extra animam et quod erat huiusmodi antequam intelligere et quod erit huiusmodi postquam cessavero intelligere, et quia ante formationem huius propositionis causa naturalis fecit ‘Petrum esse

album', et quia dum noviter formare huiusmodi propositionem facerem Petrum esse album. Et consequenter, formando istam 'Deus est Deus et bonus', et opus ego facerem Deum esse Deum omnipotentem, et consequenter cum cessarem intelligere tolleretur 'Petrum esse album' et 'Deum esse', quod est falsum, quia 'Petrum esse album' et 'Petrus est albus' simul sunt et non sunt.

Item, hec propositio 'Petrus est albus' est vera ex eo quod significat Petrum esse album et ita est in re. Sed non est vera ex eo quod significat seipsam vel ex eo quod significat hanc orationem et hoc dictum 'Petrum esse album', ergo 'Petrum esse album' est aliud ab huiusmodi propositione et dicto. Minor probatur, quia ab eo quod res est vel non est dicitur oratio vera vel falsa, igitur non ex ipsamet. Et quia semper esset vera etiam re mutata, quia semper significaret se ut prius, et semper poneretur illud idem significatum propter quod foret vera, et quia propositio falsa non minus significabit seipsam, et non minus poneretur suum significatum.

Item, hec esset falsa 'Petrum esse album est Petrum esse coloratum' et 'Petrum esse hominem est Petrum esse animal rationale', quia nec hec oratio est illa, nec hoc dictum est illud; ergo, tale dictum supponit pro aliquo intelligibili extra animam et de illo procedit ratio principalis. Tale ei dictum interdum supponit personaliter et significative. Patet dicendo 'Petrum currere' est possibile vel 'Petrum peccare' est odibile et reprobatum a Deo vel nolitum a me et Deum diligere est meritorium.

Item, cum ego enuntio vel apprehendo 'Deum esse' vel quod 'Deus est', Plato, qui est Rome, consimile format, ego et Plato significamus et apprehendimus omnino idem numero et iudicamus et volumus idem numero, et tamen nihil cogito de actibus Platonis. Similiter, de duobus testimonium preterentibus super eodem numero secundum 'Petrum fecisse *b*'. Similiter, ego non possem iudicare idem numero nunc et prius, quod est falsum, quia heri et hodie apprehendo et iudico et volo idem numero, secundum 'Petrum esse sanum'.

Item, 'Petrum non esse album' non est idem huiusmodi dicto negativo, quia hoc dictum ponitur non minus quam dictum **[280a]** oppositum affirmativum, et tamen 'Petrum non esse album' non ponitur quia Deus nunc facit Petrum esse album, quem postea faciet non esse album. Patet, igitur, multipliciter quod sumptis terminis personaliter 'Petrum esse' est intelligibile significatum per *a* propositionem distinctam ab *a*. Ex quo potest sic argui: 'Petrum esse'

significatur et apprehenditur formaliter per a , sed non per hoc signum incomplexum 'Petrus'. Probo, quia tunc omnis propositio in qua poneretur hoc signum 'Petrus' significaret formaliter 'Petrum esse', ergo hec propositio 'Petrus non est' significaret 'Petrum esse'. Quicquid enim significatur per partem, significatur per totum, et ita hec propositio 'Petrus non est' implicaret contradictionem et inferret istam 'Petrus est'. Similiter, ista 'Petrus fuit' vel 'Petrus erit' inferret et significaret formaliter 'Petrum esse'. Ex quo econtra arguitur sic: 'Petrum fuisse' vel 'Petrum fore' non significatur, nec concipitur per conceptum incomplexum Petri, igitur nec 'Petrum esse' significatur vel concipitur per eundem. Antecedens patet, quia hec propositio 'Petrus est' inferret 'Petrum fuisse' et '<Petrum> fore', immo istam 'Petrus non est'. Consequentia probatur, quia ille terminus vel conceptus nominalis indifferenter se habet ad propositionem de tempore presenti, vel preterito, vel futuro ad esse secundum huius vel illius.

Secundo principaliter contra conclusionem: signum veridicum vel falsidicum significat aliquod obiective intelligibile, quod non significatur per signum non veridicum, nec falsidicum, aut econtra. Sed propositio seu apprehensio complexa est signum veridicum vel falsidicum et solum nominale incomplexum, vel quecumque collectio ex solis nominibus incomplexis non est signum veridicum vel falsidicum secundum Aristotelem, et accipio verum non ut passio entis in communi, sed ut est passio signi complexi cui contradictorio convenit falsum vel cui eidem successive convenit verum et falsum, igitur. Maior probatur: signorum omnino idem est precise significantium si unum est verum vel falsum ratione sui significati precise et reliquum. Sed a signum complexum et b signum nominale incomplexum vel collectivum ex solis nominibus incomplexis significant omnino precise idem secundum te, et a non est verum vel falsum, nisi ratione sui significati. Probo tum quia non est verum vel falsum nisi ex eo quod res significata, sic vel aliter se habet ab eo enim quod res est vel non est, etc; tum quia propositio omnino in se invariata transit de veritate in falsitatem propter solam mutationem significati, igitur et per idem arguitur quod simplex sensatio esset apprehensio veridica vel falsidica non minus quam apprehensio intellectualis complexa. Si dicitur (negando maiorem) sufficere quod illa signa significant idem aliter et aliter, puta unum complexe nominaliter, et aliud complexe secundum nominaliter et verbaliter.

Contra hanc responsionem, aut ista alietas est formaliter ex parte significati et habetur propositum, aut est precise ex parte signorum et tunc non impedit qui unum sit verum sicut

reliquum. Probo multipliciter. Primo, si aliqua proprietas convenit alicui precise rationem cuiusdam et propter quoddam ubicumque eadem ratio et idem propter quid ibi reperitur eadem proprietas. Et si aliquid denominatur aliquale propter certam habitudinem ad alterum quicquid habet consimilem habitudinem ad illud debet denominari tale. Sed *a* signum complexum non est verum nisi precise ratione sui significati et propter suum significatum non propter se, nec propter suum modum significandi, quia termini non stant pro se, nec per modo significandi, sed pro significato tantum, et quia omnibus manentibus invariantis transit propositio in falsitatem propter solam mutationem significati, igitur.

Secundo, stando precise in alietate signorum cum omnimoda identitate significati, maior est alietas inter propositionem mentalem et inter propositionem vocalem vel scriptam quam inter conceptum complexum et conceptum incomplexum in mente vel quam inter vocem incomplexam et complexam, quia illud est ens spirituale et signum naturale est ens permansivum, vox autem est signum ad placitum et ens materiale succesivum. Sed illa alietas signorum non impedit quin **[280b]** unum sit verum, si alterum sit verum propter identitatem significati, igitur. Confirmatur: maior est alietas inter signum creatum, et signum increatum quam inter duo signa creata eiusdem speciei vel generis. Sed illa non impedit qui unum sit verum si alterum sit verum propter identitatem significati, quia si Deus cognoscit et iudicat Socrates currere et ego consimiliter tunc sicut Deus cognoscit et iudicat vere, ita et ego.

Tertio, contra responsionem, quia aliquis nutus religiosorum est signum verum vel falsum absque compositione ex nomine et verbo, quia significat ipsum appetere potum vel huiusmodi, ergo veritas non convenit propositioni propter huiusmodi modos significandi grammaticales nominaliter, et verbaliter.

Quarto, aut propositio mentalis est signum in se formaliter compositum ex multis incomplexis aut est actus simplex in essendo, sed dicitur signum complexum et apprehensio complexa obiective in representando et exhibendo, non autem conceptus nominalis. Si secundum, habetur propositum. Si primum, contra: quia actus iudicandi vel assentiendi est actus in se, unus non compositus ex actibus iudicativis quorum unus sit tantum nominalis et alius tantum verbalis, quia per quelibet nihil iudicaretur saltem notitia divina est simplex, qua apprehendit et iudicat *b* esse album, et tamen est veridica, et iudicium veridicum, igitur.

Quinto, intellectus formaliter apprehendens et significans rem sic se habere sicut se habet vel rem esse talem qualis est veridicus in significando. Et econtra, significans rem aliter se habere quam se habeat est falsidicus in significando, patet primo Peri Hermeneias, “significans esse quod est vel non esse quod non est significat verum et significans esse quod non est vel non esse quod est falsum”. Sed intellectus habens solum conceptum nominalem vel precise conceptus nominales est huiusmodi. Probo habeat Socrates in mente *a* propositionem et Plato habeat *b* conceptum nominalem vel conceptus nominales significantes omnino et precise quod significat *a* secundum te. Tunc sic, omne intelligibile significatum et apprehensum per *a* est significatum et apprehensum per *b*. Sed rem sic se habere, puta ‘Petrus currere’ est significatum et apprehensum per *a*, igitur per *b*.

Sexto, si alietas signorum et modorum significandi impedit illud, igitur pari ratione diceretur de quibuscumque propositionibus idem significantibus quod una est falsa, licet altera sit vera, ut ‘homo currit’ et ‘homo est currens vel sub cursu’ et pari ratione negabitur omnis consequentia in qua erit differentia signorum in antecedente, licet idem de consequente sit significatum.

Tertio, principaliter contra conclusionem, aut copula addita extremis in propositione significat et exhibet aliquod intelligibile aut non. Si primum, igitur nihil omnino significat nec est vox significativa, igitur nec est verbum et frustra additur et sine ea nihilominus erit propositio. Si primum, aut igitur illud non est significabile mere nominaliter sed tantum complexe, et habetur propositum, aut est significabile mere incomplexo nominaliter, ergo additio copule facta extremis non magis constituet propositionem et signum verum vel falsum quam si prioribus extremis adderetur loco copule nomen omnino idem significans, quia multitudo nominum significabit formaliter omnino illud et equivalebit in significando additioni copule cum extremis, si dicitur quod cosignificat tempus.

Contra, aut nullius alterius intelligibilis est signum aut alicuius alterius a tempore. Si primum ergo addendo hoc signum tempus significabitur formaliter omnino idem. Et ita erit propositio dicendo ‘Petrus tempus albus’ sicut dicendo ‘Petrus est albus’. Si secundum autem igitur illud conceptibile incomplexo nominaliter etc., ut prius.

Quarto, sequitur quod iudicium et assensus vel dissensus intellectualis non exigit compositionem et divisionem, sed sufficerent sole apprehensiones nominales incomplexae. Probatio, quia si non suffi- [281a] –ciunt, aut igitur hoc est quia notitia complexa exhibet aliquod obiective intelligibile, quod non apprehenditur per notitias incomplexas, et habetur propositum, aut hoc est, quia notitiae incomplexae sunt imperfectae. Et hoc non, quia possunt haberi perfectiores sive eiusdem rationis sive alterius, habita autem notitia clara eius quod est obiectum sufficiens et totale iudicii potest haberi iudicium et illa sufficit ad aliquale iudicium de illo obiective iudicabili et ultra sed imperfectio notitiae impediret iudicium certum, saltem non impediret iudicium probabile et opinionem vel actum dubitandi de per se obiective dubitabili. Per idem arguitur quod voluntas poterit velle formaliter *a* esse huiusmodi, absque hoc quod intellectus apprehendat formaliter *a* esse huiusmodi, quia habita notitia clara alicuius obiecti volibilis, quod est sufficiens et totale obiectum volibile potest voluntas velle vel nolle.

Ad primum, per idem probatur quod intelligibile significatum complexum per istam intelligibile est intelligibile non significatur per haec signa intelligibile ‘significabile complexum’. Per idem, etiam probatur quod ‘Petrus moveri velociter’, non est ‘Petrus moveri’, quia ‘Petrus moveri’ significat per istam ‘Petrus movetur’, et tamen ista non significat ‘Petrus moveri velociter’. Dico, igitur negando minorem quod illud intelligibile quod est ‘Deum esse bonum’ significat per haec nomina ‘Deus bonus’. Ad probationem, conceditur quod nec nomen nec collectio nominum significat formaliter ‘Deum esse bonum’ vel ‘Deum esse’, tamen ‘Deum esse’ est significatum per huiusmodi nomen. Sicut non sequitur Trinitatem esse cognoverunt philosophi, ergo philosophi cognoverunt Trinitatem esse et ratio est, quia ista propositio ‘Petrus esse album’ est significatum vel apprehensum per *b* signum nominale habet duplicem sensum vel duplicem causam veritatis. Una causa esset quia illud intelligibile quod de facto est ‘Petrus esse album’ est significatum vel apprehensum per *b* et hic sensus est verus, si ‘Petrus sit albus’ et si non, non. Alia causa esset, quia *b* est tale signum quod ex sua impositione et formali significatione subordinatur vel conformatur conceptibus correspondentibus istis orationibus ‘Petrus esse album’ vel ‘Petrus est albus’ vel orationibus consimilibus et equivalentibus in significando talia et taliter secundum modis nominalibus et verbalibus, ita quod nisi ponatur ‘Petrus esse album’, illud sit signum falsidicum et si ponatur ‘Petrus esse album’, sufficit et requiritur ad hoc ut illud signum sit veridicum, et sic non est verum quod ‘Petrus esse album’ significat formaliter per *b*, sed tantum per signum complexum et non infertur propositum, sed

tantum distinctio signorum. Possibile est aut utramque causam veritatis simul concurrere. Quando autem terminus significandi vel cognoscendi ponitur a parte predicati et terminus vel termini significantes obiectum ponuntur a parte subiecti, tunc quelibet dictarum causarum sufficit ad verificationem talis propositionis. Cum vero post terminum significandi vel cognoscendi ponitur tamquam determinatio terminus vel oratio significans obiectum significatum vel cognitum, tunc ad verificationem illius propositionis requiritur secunda causa, nec sufficit prima causa, immo nec requiritur, quia non sequitur ‘Ego significo vel intelligo Petrum esse album, ergo significatum vel cognitum a me est Petrum esse album’. Ratio autem dictorum est quia terminus significandi vel cognoscendi positus a parte predicati appellat suam formam respectu sue determinationis, ideo cum dicis ‘Cognosco Choruscum venire vel esse venientem’, veritas istius propositionis exigit quod habeas formaliter cognitiones conformes et correspondentes isti orationis ‘Corruscum esse venientem’. Dices tunc non esset verum quod hec propositio “Petrus est albus” significaret formaliter ‘Petrum esse album’, quia non subordinatur in significando conceptibus correspondentibus tali dicto, quia tale dictum non est propositio. Respondeo, licet in aliquo sensu sit verum quod hec propositio ‘Petrus est albus’ significat quod ‘Petrus est albus’ in quo sensu non sit verum quod significet ‘Petrum esse album tamen’, ideo communiter convenienter dicitur quod illa propositio significat ‘Petrum esse album’, quia illa propositio et illud dictum non solum significant omnino eadem intelligibilia adequate, sed **[281b]** etiam significant eadem sub eisdem modis quoad significare distincte vel indistincte nominaliter vel verbaliter et copulando verbaliter eadem et eodem ordine et affirmative vel negative, quia talis propositio et tale dictum sic equivalent quod si ponatur *d* esse huiusmodi cuiusmodi significatur per dictum propositio illa est vera, et si non, non. Non sic universaliter de signo quod est subiectum propositionis et ideo dictum est conveniens expositorium significationis propositionis.

Ad secundum principale, negatur maior. Aliqua enim (licet non quelibet) diversitas signorum respectu eiusdem significati sufficit probatio, quia totale significatum huius complexi verbi vel falsi ‘Petrus est albus’ significatur hiis terminis intelligibile significabile complexe totale significatum propositionis, que tamen non sunt signa veridica vel falsidica. Dices totale et adequatum significatum (illud quod dicatur *b*), non significatur illis nominibus determinate et distincte, sed confuse et in communi, nec precise significant *b*, immo omne aliud intelligibile. Contra: tum quia potest demonstrando dici hoc intelligibile *b* vel hoc totale significatum huius

complexi, tum quia habetur propositum quod aliqua differentia signorum sufficit ad hoc quod unum sit verum vel falsum, et non reliquum, licet omnino illud quod significatur per signum verum significetur per signum, nec verum nec falsum, eo quod unum illorum signorum significat illud complexe et distincte et adequate et alterum inadequately et in communi.

Item, contra maiorem, quia hoc complexum est signum verum 'Petrus est albus' et hec oratio seu dictum non est verum nec falsum 'Petrum esse album', quia hoc dictum non est propositio et dicens illud precise non potest accusari nec potest sibi imputari quod dixerit verum vel falsum, et quia illud dictum potest esse subiectum diversarum propositionum, quarum una est vera et altera falsa, ut 'Petrum esse album est possibile', 'Petrum esse album est impossibile'. Quod autem intelligibile complexe significatum per istam 'Petrus est albus' sit idem huic quod est 'Petrum esse album' probatur tum, quia illud intelligibile non convenientius exprimitur quam per dictum correspondens tali propositioni; tum quia Aristoteles in predicamentis illud quod subiacet affirmationi et negationi exprimit per huiusmodi dicta; tum quia huius significatum complexe ponitur per eos per se obiectum iudicii et assensus. Sed 'Petrum esse album' est per se obiectum iudicii, tum quia rationes adversariorum eque probant quod 'Petrum esse album' sit intelligibile distinctum ab entibus incomplete demonstrabilibus, igitur nisi sit idem totali significato complexi, sequitur quod erit dare duo complexe significabilia per quodlibet complexum.

Item, contra maiorem: signorum omnino idem significantium contingit unum esse verum et alterum esse falsum, igitur pari ratione unum esse verum vel falsum, et alterum non esse verum neque falsum. Antecedens probatur, tum quia assensus est verus et dissensus est falsus respectu huius significati 'Petrus est homo', et tamen assensus et dissensus sunt quedam signa, tum quia apprehensio tua complexa qua apprehendis *b* significabile complexe est falsidica. Deus autem idem intelligibile apprehendit per apprehensionem non falsidicam, tum quia mentaliter dicis quod 'Petrus est asinus', tua apprehensio est falsa. Si autem ego dico te dicere quod 'Petrus est asinus', non est apprehensio mea falsa, nec sum falsidicus in sic apprehendendo, licet illud idem quod intelligis complexe ego intelligam complexe sed aliter. Confirmatur, non minus differentia aliqua signorum intellectus respectu eiusdem significati sufficit, ut unum sit verum et aliud non, quam differentia actuum voluntatis respectu eiusdem obiecti sufficiat ad hoc quod

unus sit bonus, alius non. Sed ita est puta de actu volendi et nolendi respectu eiusdem obiective terminantis.

Item, non minus sufficit quam sufficiat ad hoc quod unum sit verum mediatum, aliud verum immediatum respectum eiusdem significati, quia sive sit verum mediatum sive immediatum non est verum nisi pro significato, sicut est ut cum passio predicatur de diffinito et diffinitione. Ex istis patet quod non oportet huiusmodi intelligibilia ponere propter differentiam actuum anime, quorum unus sit scientia vel iudicium et alius non, quia signum nec [282a] verum nec falsum non sufficit ad scire vel iudicare aut dubitare. Signum autem verum vel falsum sufficit. Ex hiis etiam patet quod non oportet ponere huiusmodi intelligibilia propter oppositionem contradictoriam signorum, quia signum nec verum nec falsum non apponitur contradictorie propositioni. Ad rationem igitur negatur maior. Ad probationem signum esse verum precise ratione significati et non nisi propter significatum potest intelligi dupliciter. Uno modo, quia ipsum non est verum nisi terminis eius supponentibus pro significato non per se, et sic negatur maior paralogismi et conceditur minor. Alio modo, quod ratio et propter quid quare hoc signum est verum non est nisi precise res significata, et non qualitas et forma signi in significando, et sic negatur minor paralogismi. Responsio ibi posita concederetur. Ad improbationem, dicendum quod precise ex parte signorum, licet non quelibet differentia significandi sufficiat sed determinata. Ad primam, improbationem patet ex dictis. Ad secundam, est non causa ut causa in argumento, licet enim aliunde sit maior differentia secundum entitates absolutas signorum, tamen differentia illa est impertinens ad propositum. Sed differentia que est penes significare incomplexo nominaliter et penes significare complexo nominaliter et verbaliter simul certis modis et determinatis affirmando vel negando, et ita maior differentia interdum non erit ratio, quare hoc sit verum et non illud. Et tamen minor differentia erit ratio huius. Ad confirmationem per idem, licet enim divina notitia sit actus simplex, nec sit proprie actus nominalis vel verbalis, tamen virtualiter et equivalenter et eminenter est notitia nominalis et verbalis, et affirmativa et negativa, absque imperfectione.

Ad tertiam probationem, videtur esse illud contra omnes. Si enim ille nutus est signum verum vel falsum, igitur est propositio, igitur est composita ex nomine et verbo et significat nominaliter verbaliter, que igitur pars eius est nomen, et que verbum qui etiam modi significandi et cuiusmodi sunt illi modi significandi, dicendum igitur quod sicut circulus ante tabernam

significans vinum esse in domo, ita ille nutus religiosi significans appetitum potest esse in ipso, est signum verum vel falsum; non quia significans aliquod intelligibile distinctum ab omnibus rebus nominaliter significabilibus, sed quia est signum ad placitum subordinatum in significando non primo et adequate alicui conceptui incompleto, sed alicui propositioni mentali composite ex nomine et verbo formaliter vel virtualiter vel equivalenter quoad significare nominaliter et verbaliter. Non tamen ille nutus est nomen vel verbum vel compositum ex nomine et verbo, quia non quodcumque signum rei dicitur nomen vel verbum, sed signum categorematicum natum esse principaliter pars propositionis, et habens tales modos significandi grammaticales propositio etiam proprie loquendo secundum usum actorum habet tantum esse in voce vel scripto vel mente. Et concedo quod non universaliter signum verum vel falsum est sic formaliter compositum ex nomine et verbo.

Ad quartam, patet supra distinctione prima, quaestione secunda, respondendo ad septimum argumentum.

Ad quintum, negatur minor, quia post nomen seu verbum significandi ponitur tamquam determinatio/oratio significans obiective significatum. Ad probationem, non sequitur rem sic se habere est significatum per *b*, igitur *b* formaliter significat rem sic se habere vel potest distingui ista rem sic se habere est significatum per *b* unius sensus est quod illud quod in re est formaliter rem sic se habere est significatum per *b* et conceditur alius sensus est *b* est tale signum taliter significans secundum affirmando hoc de hoc etc. Et sic negatur. Et hoc est dicere quod est materialiter significatum non formaliter.

Item, potest dici quod maior conceditur si significet et apprehendat per propositionem vel signum equivalens quoad affirmare vel negare.

Ad sextam probationem, negatur consequentia. Illud enim irrationabiliter diceretur quod quicquid sit de huiusmodi intelligibili, constat quod aliqua differentia propositionis vocalis variat veritatem, sed non quelibet. Aliqua etiam [282b] differentia signorum et non quelibet facit ad differentiam veri mediate vel immediate.

Ad tertium argumentum principale, quid correspondeat in intellectu copule verbali vocali, patet distinctione prima, questione secunda. De copula autem verbali vocali dicendum

quod significat in generali eadem que significat hic terminus ens sed aliter, quia verbaliter consignificando tempus significat igitur confuse, et in universali quecumque significantur per extrema, et significat illa verbaliter quasi significando compositionem vel identitatem vel modum aliquem unitatis inter significatum per unum extremum, et significatum per alterum extremum quam compositionem vel quasi compositionem impossibile est sic intelligere, sicut significatur per “est” nisi intelligendo significata per extrema. Unde Aristoteles primo Peri Hermeneias: Est enim consignificat quandam compositionem quam sine extremis non est intelligere. Quod dictum potest etiam aliter intelligi, quia complexio seu conceptus mentalis cui subordinatur copula in significando non potest haberi nisi habendo vel prehabendo conceptus extremos incomplexos. Ad rationem, igitur dico quod significatum per copulam potest significari incomplexo nominaliter. Et cum dicitur quod additio nominis idem omnino significantis constitueret propositionem negatur.

Ad quartam negatur consequentia. Ad probationem, hoc est quia actus iudicandi presupponit certam speciem et certum modum apprehensionis secundum complexe affirmando vel negando. Eodem modo de actu volendi *a* esse huiusmodi. Et posset ratio reduci ad oppositum, quia voluntas posset velle aliquod intelligibile non apprehensum, quia intellectu precise apprehendente *a* esse album voluntas potest velle *a* non esse album, quia potest nolle *a* esse album. Quecumque autem notitia sufficit ad nolle *a* esse album sufficit ad velle *a* non esse album.

Secunda conclusio, per nullum complexum veridicum vel falsidicum, sive vocale, sive mentale, significatur complexe aliquod intelligibile distinctum ab omnibus entibus incomplexo significabilibus significatis per partes illius complexi. Probatur: sit *b* tale intelligibile significatum per istam ‘Petrus est albus’, aut igitur *b* significatur per negativam contradictoriam, aut non. Si primum, igitur illa negativa significat opposita contradictorie, quia secundum te negativa significabit intelligibile oppositum contradictorie ipsi *b*, et ita implicabit contradictionem, quia significabit ‘Petrum esse album’, et ‘Petrum non esse album’. Si secundum, contra: tum quia omnia signa que sunt in affirmativa, sunt in negativa, igitur nullum obiectum intelligibile significatur per hanc qui per illam; tum quia intellectus removens et negans formaliter aliquod obiectum intelligibile apprehendit illud obiectum intelligibile. Sed intellectus habens precise negationem, negat et removet formaliter *b* intelligibile; tum quia ille

propositiones non sibi contradicerent, quia una significaret quoddam intelligibile poni, et alia non significaret illud intelligibile tolli, quia non significaret illud intelligibile.

Contra hanc et precedentem arguitur primo sic, propositiones que conveniunt et communicant in omni conceptibili incomplexo et nominaliter significato per alteram illarum et tamen non conveniunt nec communicant in omni intelligibili significato per alteram illarum habent utreque vel altera illarum pro significato aliquod intelligibile non mere incomplexo nominaliter significabile sed distinctum ab omni intelligibili incomplexo significabili et per aliam illarum significato. Sed propositiones contradictorie sunt huiusmodi, nulla enim res sive simplex sive composita nominaliter significabiliter significatur per unam qui per aliam, aliter non essent contradictoria non tamen universaliter et totaliter idem significant, quia ‘Petrum esse hominem’ et ‘Petrum non esse hominem’ essent illud et idem iudicarent et vellent iudicantes aut volentes illa. Confirmatur intelligibilia que distinguuntur et non alicui intelligibili mere incomplexo **[283a]** nominaliter significabili distinguuntur aliquo intelligibili tantum complexo conceptibili et significabili. Sed totalia et adequata significata propositionum contradictoriarum sunt huiusmodi ut ‘Petrum esse album’, ‘Petrum non esse album’, igitur.

Confirmatur: hoc complexum ‘*a* non est *b*’ negat significative quoddam intelligibile poni in re illud non est aliquod ens mere incomplexo conceptibile et significabile, quia illud non est res que est *a*, nec res que est *b*, nec aliqua alia, igitur est aliquod alterum intelligibile significatum complexo per affirmativam secundum *a* esse *b*, prima pars antecedentis probatur quia negatur poni in re *a* esse *b* et negat identitatem ipsius *a* ad *b* et quia non esset negativa nisi negaret quoddam intelligibile poni.

Secundo principaliter, nulla entitas incomplexo nominaliter conceptibilis significata per hanc ‘Petrus est albus’ opponitur contradictorie intelligibili significato per hanc ‘Petrus non est’. Sed aliquod intelligibile significatum per hanc ‘Petrus est albus’ opponitur contradictorie alicui intelligibili significato per hanc ‘Petrus non est albus’, igitur maior patet. Tum quia omnis huiusmodi entitas significata per affirmativam significatur per negativam et per consequens negativa includeret contradictoria. Tum quia hoc signum incomplexum et illud signum complexum non opponuntur contradictorie, igitur nec eorum significata. Probatur minor, quia secundum Aristotelem sicut affirmatio adversus negationem opposita est. Ita illud quod subiacet affirmationi et illud quod subiacet negationi.

Tertio principaliter, intelligibilia que diversificantur et numeraliter multiplicantur rebus incomplexe significabilibus non multiplicatis, sed eisdem existentibus sunt intelligibilia distincta ab omnibus entibus incomplexe significabilibus, sed quedam significata complexe propositiones sunt huiusmodi. Probatio, quia ex incomplexis significantibus easdem res possunt formari diverse propositiones non totaliter idem significantes, patet dicendo ‘omnis homo est animal’ et ‘omne animal est homo’ vel ‘omne album est corpus’ et ‘omne corpus est album’, et ‘Deus creat lapidem’ et ‘lapis creat Deum’, et ‘asinus est regis’ et ‘asinus est rex’. Totalia autem et adequata significata distinguuntur, quia una est vera, altera impossibilis. Confirmatur ut supra, quia ille propositiones conveniunt et communicant in significato quoad omnem entitatem incomplexe conceptibilem et tamen non conveniunt totaliter in omni intelligibili significato per alteram illarum. Confirmatur: que uni et eidem sunt eadem inter se sunt eadem, sed totalia et adequata significata talium propositionum non sunt eadem inter se, ergo nec entibus incomplexe significabilibus que significantur per illas. Confirmatur: signa incomplexa indifferentia ad diversas propositiones non magis significant idem cum una illarum quam cum alia. Sed hec signa ‘album corpus’ sunt indifferentia ad hoc ut formetur ex illis propositio universalis, vel indefinita, vel particularis, vel quod hoc subiciatur et illud predicetur et econtra, vel quod signum addatur subiecto, vel predicato, vel quod addatur copula de presenti vel preterito vel futuro, igitur vel nulli illarum significant idem vel cuilibet. Sed non cuilibet, quia significata per dicta correspondentia essent idem, igitur.

Quarto, propositio distinguenda secundum compositionem et divisionem habet secundum sensum compositionis pro significato aliquod intelligibile alterum ab intelligibili importato per sensum divisionis vel econtra. Sed non aliam rem incomplexe nominaliter significabile, igitur. Prima pars antecedentis probatur, quia si precise idem et omnino significaret in sensu compositionis et sensu divisionis, frustra fieret huiusmodi distinctio, immo nec esset distinguenda, nec esset duplex sensus, patet. Item, quia interdum in sensu compositionis est impossibilis et in sensu divisionis est vera vel econtra. Secunda pars antecedentis patet inducendo et demonstrando quascumque et quotcumque vis res incomplexe demonstrabiles, sive substantias sive accidentia, ut dicendo ‘duo et tres sunt quinque’. Patet et quia iidem termini sunt non equivoci.

Quinto, sequitur quod non erit possibilis error et deceptio. Probo: sit Petrus qui decipiatur affir- [283b] -mando *c* esse tale cum tamen *c* realiter non sit tale, tunc sic omnis deceptus fallitur in aliquo obiecto intelligibili quod ipse non intelligit. Sed Petrus non fallitur in aliquo obiecto intelligibili quod ipse non intelligit, igitur minor patet, quia nec illud obiectum est *c*, nec aliquod aliud ens incomplexe significabile. Nullum enim potest dari in quo ipse fallatur et quod ipse non intelligat. Si vero illud sit aliquod intelligibile significabile complexe, puta '*c*, non esse tale' haberetur propositum, maior probatur per Augustinum 83 Questionibus, quaestione 32, "quisquis ullam rem aliter quam illa res est intelligit fallitur, et omnis qui fallitur illud in quo fallitur non intelligit quisquis, ergo ullam rem aliter quam illa res est intelligit non eam intelligit". Ex quo ulterius potest sic argui fallitur Petrus dicendo '*c* esse tale', et Plato non fallitur dicendo '*c* non esse tale'. Tunc secundum Augustinum Petrus non intelligit illud in quo ipse fallitur et tamen Plato intelligit illud in quo Petrus fallitur. Quero quid est illud, si complexe conceptibile tantum habetur propositum, si aliqua res incomplexa conceptibilis, patet quod non, quia nulla talis entitas intelligitur a Platone, quin intelligatur a Petro. Confirmatur: aut Petrus et Plato iudicant omnino idem obiective aut non. Si secundum, propositum, quia unus iudicat aliquod intelligibile quod alius non iudicat, non autem precise entitatem incomplexa significabilem. Si primum, igitur Petrus non decipitur, si Plato non decipitur, quia ex quo idem iudicant, si iudicatum obiective ab uno ponitur, et iudicatum ab alio similiter ponitur.

Sexto possibile est quod omnis entitas incomplexa significata per partes complexi apprehenditur ab audiente vel legente. Et tamen aliquod intelligibile significatur per complexum quod non intelligitur ab illo secundum completum et adequatum significatum propositionis, quia ille ignorat quid significetur per huiusmodi complexa audita vel scripta.

Ad primum, aliqua signa convenire et communicare in omni intelligibili significato per alterum potest intelligi dupliciter: uno modo quod nullum per se et proprie conceptibile obiective et terminative significatur per unum, quin per reliquum, et sic conceditur maior, et negatur secunda pars minoris. Alio modo, quod pro quocumque intelligibili demonstrabili natum est supponere vel verificari unum et reliquum et omne intelligibile sic se habens qualiter se habens requiritur et sufficit ad verificandum unum, requiritur et sufficit ad verificandum reliquum et est idem intelligibili sic se habenti, ut requiritur et sufficit ad verificandum reliquum, et sic negatur maior. Patet de istis propositionibus intelligibile est intelligibile et intelligibile non est

intelligibile et similiter de dictis correspondentibus. Similiter, de istis terminis ens album ens non album vel significabile complexe, vel non significabile complexe. Ad probationem secunde partis minoris concedendo quod non significant idem et quod Petrum esse et Petrum non esse non sunt idem. Sed non sequitur ex hoc quod aliquod obiective et terminative proprie intelligibile significetur per unum quod non per aliud de hoc magis infra distinctionem 36. Ad confirmationem negatur minor proprie loquendo, scilicet quod *a* esse *b* et *a* non esse *b* sunt quedam duo distincta intelligibilia obiective terminantia intellectiones, aut enim pars contradictionis que est falsa, est impossibilis ut ‘Deum non esse’, aut est falsa contingens ut ‘Petrum non esse album’. Si primo modo, falsum est proprie loquendo quod ‘Deum non esse’ sit quoddam intelligibile terminans obiective intellectionem, immo figmentum est ponere huiusmodi intelligibile, et ideo est propositio impossibilis, quia sibi non correspondet aliquod intelligibile pro quo nata sit verificari, et tale quale exigeret veritas illius et Deus etiam qui intelligit etiam intuitive omne obiective intelligibile [284a] non habet in suo prospectu aliquod obiectum intelligibile quod sit Deus non ens vel Deus insipiens. Si vero per istam propositionem ‘Deum non esse’ est quoddam intelligibile distinctum ab eo quod est ‘Deum esse’ intelligitur quod isti orationi correspondere potest talis intellectio cui subordinatur et quod contingit sic intelligere Deum negandum esse ab eo, sic conceditur et non valet discursus. Si vero sit propositio falsa et contingens sic conceditur quod ‘Petrum non esse album’ est quoddam intelligibile actu vel potentia existens, sicut et ‘Petrus non ens albus’, et hoc intelligibile significatur per affirmativam contradictoriam, quia Petrus significatur per contradictoriam et contingit quod Petrus sit Petrus non ens albus, et per consequens sit Petrum non esse album, non tamen conceditur quod hec affirmatio ‘Petrus est albus’ significet Petrum non esse album. Et ultra proprie loquendo negatur quod ‘Petrum esse album’ et ‘Petrum non esse album’ sint idem intelligibile, aut quod sint duo vel distincta intelligibilia. Primum non est concedendum, quia non est possibile quod aliquod unum intelligibile simul sit ‘Petrum esse album’ et ‘Petrum non esse album’, immo nullum intelligibile est hoc et illud. Secundum etiam non est concedendum proprie loquendo, quia impossibile est simul poni duo intelligibilia quorum unum sit ‘Petrum esse album’ et reliquum sit ‘Petrum non esse album’. Tamen improprie loquendo et in quadam similitudine potest dici quod sunt unum intelligibile aliter et aliter conceptibile, eo quod idem intelligibile quod nunc est ‘Petrum esse album’ erit vel potest fore ‘Petrum non esse album’. Potest etiam concedi improprie quod sunt quasi duo distincta intelligibilia, quia nullum unum et

idem intelligibile est hoc et illud et tamen aliquod intelligibile est modo huiusmodi et aliquod intelligibile erit vel potest fore illud. Illis etiam dictis correspondent diverse apprehensiones sic quod si una verificatur pro aliquo intelligibili impossibile est aliam verificari tunc pro eodem intelligibili. Ad aliam confirmationem negatur maior proprie loquendo non ei significat aliquod intelligibile, non poni in re simpliciter et absolute, sed negat quoddam intelligibile poni esse idem tali intelligibili, supposito quod illa negativa sit impossibilis. Si vero sit falsa contingens, sic negat quoddam intelligibile sic se habens poni in re, scilicet *a* ens idem *b* et ens intelligibile possibile significabile incomplexo. Ad secundum principale negatur minor proprie loquendo ad probationem patebit distinctione 36.

Ad tertius, negatur minor. Ad probationem, totaliter idem vel eadem significare per aliquas duas propositiones potest intelligi dupliciter uno modo, quod omne intelligibile obiective et terminative exhibitum et representatum per unam exhibetur per aliam et sic conceditur quod omnino idem intelligibile, obiective et terminative exhibitum vel eadem intelligentia significantur per istas ‘asinus est regis’ et ‘asinus est rex’, nec ex hoc sequitur minor principaliter. Nec etiam sequitur quod ‘asinum esse regis’ et ‘asinum esse regem’ sunt idem, quia non est verum quod aliquod obiectum intelligibile quod sit vel potest esse asinum esse regem exhibeatur per unam illarum, licet asinus et rex taliter significantur per unam illarum quod eius significatio affirmat esse regem de asino. Et ad illius significationis veritatem exigeretur et sufficeret asinum esse regem. Aliomodo, quod intelligibile significatum per unam pro quo verificatur vel verificabilis est una illarum et quod requireretur et sufficeret ad veritatem illius sit omnino idem intelligibile pro quo alia simul verificaretur et quod requiretur ad veritatem alterius, et sic negatur quod ille due propositiones totaliter idem significant, quia veritas unius exigeret quod aliquod intelligibile significatum per eam esset asinus et rex. Nec sequitur ille propositiones non totaliter idem significant, ergo aliquod intelligibile proprie terminative significatur per unam quod non per aliam. Sed tantum sequitur quod aliquod intelligibile significatur per unam pro quo illa verificatur et cuius positio requiritur et sufficit ad positionem illius, non autem sic de altera, immo nec [284b] de eodem, nec pro eodem obiecto intelligibili demonstrato potest vere affirmari utrumque dictum correspondens illis propositionibus. Patet in istis propositionibus omne complexum est intelligibile incomplexo vel incomplexo et omne intelligibile incomplexo vel incomplexo est complexum signum vel significabile complexo est propositio et significabile complexo est propositionis. Ad

confirmationem per idem, minor ei negatur vel est distinguenda. Ad aliam, confirmationem negatur maior significant ei aliquo modo idem affirmationi vere quomodo non idem ei quod significat propositio falsa de eis formata.

Ad quartam, negatur maior, quia respectu eiusdem predicati possunt respectu eorum intelligibilium formari diversa subiecta, quorum unum verificabit propositionem, aliud non, ut ‘Socrates est ens intelligibile’, ‘Socrates non ens intelligibile’ vel ‘Socrates ens Deus’, ‘Socrates ens Dei’. Ad probationem non frustra sit distinctio, quia apud intellectum sensus sunt varii et non universaliter ille res, que requireretur et sufficerent ad veritatem unius sensus requireretur et sufficerent ad veritatem alterius, saltem eedem precise res sic disposite.

Ad quintum, negatur consequentia. Ad probationem non valet, quia si Socrates et Plato intelligant *c* esse tale et Socrates assentiat et Plato dissentiat, alter decipitur in eo quod intelligit. Si etiam verba Augustini accipiantur ut videntur sonare implicant contradictionem, infert ei sic quisquis igitur ullam rem aliter quam ea res est intelligit non eam intelligit. Potest igitur dici quod quisquis fallitur cum illud in quo fallitur non intelligit sufficienter recte seu convenienter et vere quomodo dicimus quod qui negat veritatem non intelligit veritatem, iuxta hunc etiam modum loquendi dicit Augustinus 15 De trinitate, capitulo 10, “in scientia hominis nota sunt que utique sunt vera, alioquin nota non essent. Nemo ei falsa noverit nisi quod falsa esse noverit, quod si verum novit, verum novit, verum enim est quod illa falsa sint”. Et libro 3 contra Academicos dicit quod “nosse falsum nemo potest”. Item, potest dici quod per illud in quo fallitur intelligit Augustinus rem esse talem qualis est et accipit intelligere pro apparere, quomodo solemus dicere ‘non intelligo quod dicis cum non apparet nobis sic esse sicut dicis’. Conceditur, igitur quod homini decepto non apparet res esse talis qualis est, et non habet apprehensionem secundum quam formaliter apprehendat illam rem esse talem aut illa apprehensio non est sibi apparentia nec causans assensum. Et ex hoc intendit ibi Augustinus principaliter quod est alius intellectus prestantior, scilicet divinus qui intelligit omnem rem sicut se habet.

Item, potest dici quod Augustinus intendit quod cum intellectus fallitur dicendo aliquam rem esse talem tunc nullum obiectum tale vel taliter se habens quale vel qualiter se habens apprehenditur et significatur per eam apprehensionem deceptivam est illa res vel eadem illi rei, et illud in quo fallitur non est illud ens, nec tale ens quod et quale ens requiritur et sufficeret ad

veritatem illius iudicii et apprehensionis conformis. Augustinus enim per illud in quo quis fallitur intelligit rem talem et taliter se habentem qualis est in veritate, verbi gratia sit *a* quadratum non rotundum et iudicem illud esse rotundum non quadratum. Tunc illud in quo fallor est *a* ens quadratum illud autem quod intelligo et iudico est *a* ens rotundum per huiusmodi, ergo apprehensionem quatenus falsa est non apprehendendo formaliter *a* quadratum, scilicet *a* esse rotundum, *a* autem esse rotundum non est ipsum *a* quia *a* est ens quadratum et *a* quadratum non est illud ens nec tale ens quod et quale ens exigit veritas mee apprehensionis. Et ita in aliquo sensu est verum quod non intelligo illud in quo fallor. Item, cum intellectus fallitur attribuendo [285a] alicui subiecto predicatum quod illi non convenit. Tunc intellectus illud in quo fallitur non intelligit per illud predicatum. Sed quod et ratione cuius primo fallitur sit quod conceptus illius predicati non est absolute apprehensio et significatum illius obiecti, aut non est conveniens signum ad usum et suppositionem pro illo obiecto ut si intellectus dicit quod asinus est homo vel ens album, et non sit ita, tunc aut conceptus hominis et albi non est signum et cognitio asini, aut non est signum conveniens ad utendum et supponendum pro asino in affirmatione de presenti et de inesse, sed est sic cognitio et signum alterius obiecti. Ad confirmationem proprie loquendo non iudicant idem, quia *c* esse tale et *c* non esse tale, non est idem nec etiam iudicant distincta obiecta intelligibilia terminative proprie loquendo, sed iudicant idem intelligibile esse tale, et non esse tale que nec sunt unum et idem intelligibile, nec distincta obiecta, nisi in proportione et similitudine, sicut Deus sapiens et Deus insipiens.

Ad sextum, negatur secunda pars. Ad probationem, si talis intelligit omnia obiecta incomplexa significabilia que ibidem significantur. Et tamen dicatur non intelligere quid significetur illis propositionibus, sensus est quod non format in animo apprehensiones conformes et correspondentes illis propositionibus vocalibus vel scriptis aut quod non habet apparentias conformes.

Tertio conclusio: per nullam predicationem respectivam significatur complexa aliquod intelligibile obiectum distinctum ab omnibus entibus actu vel potentia existentibus per sola nomina propria absoluta significabilibus. Probo: sumo istam *a* corpus est locatum in *b* loco, tunc *a* esse locatum in *b* loco non est aliquod intelligibile distinctum ab *a*. Probatio primo, quia *a* esse sic locatum est *a* esse sic locatum est *a* esse, sed *a* esse est *a* ut probatum est in superioribus, ergo. Secundo, quia *a* sic locari in *b* aut est *a* locatum in *b*, aut est iste res sic se habentes, *a* enim

ad esse locatum in *b* sufficit ponere istas res sic se habentes, et non est ponenda pluralitas sine necessitate. Si primum, habetur propositum, quod illud intelligibile complexe significabile est ipsum *a*. Si secundum, adhuc habetur propositum, quia iste res sic se habentes sunt iste res, sed res iste sunt quedam incomplexa significabilia pro nomina propria absoluta.

Preterea, sumo istam ‘Socrates est pater Platonis’ vel ‘voluntas est causa actus’. Si per has significatur huiusmodi intelligibile, sequitur quod esset aliquod intelligibile positivum actuale, quod nec esse Deus, nec includeret Deum, nec esset, nec esse possit a solo Deo effective. Consequens videtur contra Dei omnipotentia. Dices: non est inconueniens de complexe significabili quod non est aliqua res seu entitas incomplexa conceptibilis. Contra: quia pari probabilitate diceretur quod Deus non potest facere Petrum esse album, vel Petrum currere, nec hoc derogabit eius omnipotentie. Tum quia Deus potest tollere vel destruere tale positivum, et non posse illud tollere derogaret Dei omnipotentie. Tum quia taliter esse qualiter esse non est peccatum, nec inferens vel implicans peccatum potest esse a Deo. Tum quia conditio que non includit imperfectionem in effectu. Sed potius attestatur perfectioni creature potest esse a Deo nec repugnat Deo habere potentiam causalem respectu illius, sed esse significabile complexe est huiusmodi conditio, quia reperitur in divinis ut Patrem gignere Filium vel Deum esse, immo universaliter consonare perfectioni talis obiecti quod non sit significabile nisi signo perfectiori.

Preterea, Petrum subvenire indigenti est huiusmodi significabile, sed est idem alicui rei, puta actui humano. Probatio, quia est bonum virtutis et iusti. Eodem modo Petrum committere furtum est significabile incomplexa, quia nomine Petri et furti, igitur [285b] supponit pro aliquibus rebus vel pro aliqua re, igitur pro rebus per nomina propria demonstrabilibus. Dices huiusmodi nomina peccatum furtivum iustum equivalent complexis in significando. Contra: vel intelligis quod equivalent quoad opposita significata et habetur propositum, quia nullum intelligibile significat per propositionem veridicam vel falsidicam qui significetur per terminum nominalem incomplexum non veridicum vel falsidicum et subordinatum conceptui nominali. Si quoad modos significandi grammaticales vel logicales vel quod subordinatur in significando apprehensionibus complexis, igitur sunt signa veridica vel falsidica, sicut et conceptus conformis et correspondens. Confirmatur, si peccatum vel peccare sit tantum intelligibile significabile complexe, puta committere contra rationem et legem Dei, sequitur quod peccatum

includit formaliter et intrinsece Deum et rectam rationem. Sumendo etiam peccatum formaliter per malitia, et ita peccatum includit formaliter et intrinsece bonitatem infinitam, malitia ei culpe non erit formaliter pura privatio iustitiae debite, nec erit voluntas, nec haec duo precise.

Preterea, rationes adversariorum eque probant quod aliquod intelligibile significatur per ista complexa quod non per extremum intelligibile est intelligibile significabile complexa non est significabile complexa. Ex predictis patet quod nullum obiectum intelligibile significatur per predicationem ex concretis quod non significetur per predicationem ex abstractis correspondentibus et e contra, quod etiam nullum intelligibile significatur per predicationem ex obliquis, quod non significetur per predicationem ex rectis correspondentibus et e contra.

Contra: sit g intelligibile significatum complexa per aliquam istarum propositionum eterna beatitudo Petri est. Et Petrus habet vitam immortalem vel certitudo et securitas beatitudinis et immortalitatis datur Petro. Tunc sic g est intelligibile significatum complexa per huiusmodi propositionem. Sed g non est omnino et adequate idem cuicumque vel quibuscumque rebus incomplexe et absolute per nomina propria vel pronominaliter demonstrabilibus, igitur. Secunda pars antecedentis probatur vel esset a Petrus, vel esset b res, que est visio, vel c res, que est fruitio etc. vel collectum ex istis rebus, sed hoc non. Probo, quia possibile est quod iste res sint tamen quod g non sit, quia si Deus cras destrueret aliquam illarum rerum non esset modo verum g esse. Accipio enim g intelligibile pro significato complexa illarum propositionum in sensu compositionis. Unde, arguitur sic illud intelligibile non est precise et omnino idem quod a, b, c , quod non ponitur positus precise a, b, c . Sed g intelligibile est huiusmodi, ut scilicet est intelligibile significatum per illas in sensu compositionis, igitur. Confirmatur: possibile est quod haec propositio sit vera: 'Petrus habet a, b, c ' et quod simul haec sit falsa 'Petrus habet vitam immortalem', ergo non est consequentia necessaria ex esse huiusmodi significati ad esse illius significati loquendo de significato complexa pro quo ille verificatur, ergo totale significatum complexa pro quo haec verificatur non est omnino idem, cum totali significato complexa pro quo illa verificatur et tamen res incomplexe significatae sunt eodem. Consideratur, si esse verificatur de aliquo termino personaliter et significative sumpto et de quodam alio termino non verificatur, illi termini non significant omnino idem, nec supponunt pro omnino eodem intelligibili, patet per primum principium, quia impossibile est idem intelligibile simul esse et non esse. Sed possibile est quod esse verificetur de collecto ex a, b, c , et non verificatur de g , seu de vita

immortali Petri, semper stando in sensu compositionis. Similiter, necessario durare in eternum non verificatur de *a*, *b*, *c*, tamen verificatur de vita beata et immortalis Petri sumendo sensum compositionis [286a]. Confirmatur, intelligibile quod potest auferri a Petro et desere Petrum et quod Petrus potest perdere distinguitur ab intelligibili quod nec est, nec potest esse huiusmodi. Sed *a*, *b*, *c*, possunt tolli a Petro et desere Petrum, non autem *g*. Probo: *g* deserit Petrum, ergo vita immortalis deserit Petrum, ergo vita immortalis inquit Petro, ergo vita nusquam finitura, et numquam a Petro ablatura ei inquit, ergo eum non deseruit, nec eam perdidit, ergo si eum deseruit non eum deseruit. Eodem modo arguitur de significabili complexe per istam Petrus habet perseverantia finalem. Si dicitur quod immortalis beatitudo Petri non est nisi *b* visio et *c* fruitio existens in Petro connotando perpetuitatem futuram seu durationem temporis futuri. Contra: accipio *a*, *b*, *c*, et illud intelligibile connotatum aut collectum ex istis est omnino et precise idem quibusdam rebus mere incomplexo nominaliter et absolute significabilibus distincte aut non. Si secundum, propositum. Si primum, contra hoc reducuntur media prius posita de *a*, *b*, *c*. Et eodem modo arguitur de quacumque specificatione et glosa apposita. Puta, si dicitur quod *g* est iste res sit durature queritur enim an omnino idem precise significetur per hoc quod dico istas res sic duraturas et per hoc quod dico iste res incomplexo absolute demonstrate. Secundo principaliter, arguitur de significabili complexe per istam et consimiles *a* corpus est in *b* loco, et supponitur quod ubi seu locatio non sit forma respectiva accidentalis distincta totaliter a rebus absolutis et inherens locato vel loco. Tunc sic *a* esse in *b* est intelligibile significatum complexe, per illam propositionem. Sed *a* esse in *b* non est omnino et adequate idem cuicumque rei vel quibuscumque rebus mere incomplexo nominaliter et absolute demonstrabilibus. Probatur, quia nec *a*, nec *b*, nec collectum ex istis ut probatur per media precedentis rationis. Si dicitur quod *a* esse in *b* loco est precise *a* et *b*, non tamen qualitercumque se habentia, sed iste res sic disposite et sic se habentes. Contra: aut per hoc quod dico iste res sic se habentes significatur aliquod intelligibile non omnino idem huic quod dico iste res absolute aut non. Si primum, propositum: quia non est distinctio in aliqua entitate incomplexo et absolute demonstrabili. Si secundum, contra per media sumpta supra, ex quod enim additur terminus relativus vel connotativus semper querendum est de intelligibili significato per huiusmodi orationem. Confirmatur: *a* esse in *b* est iste due res sic se habentes. Sed non est hee due res aliter se habentes, ergo has res taliter se habere et has res aliter se habere sunt intelligibilia distincta. Sed non sunt distincta per aliquam entitatem incomplexo absolute et

distincte significabilem. Confirmatur: *a* esse in *b* loco et *b* esse in *a*, et *a* esse super *b* et *a* esse sub *b*, et *a* esse iuxta *b*, et *a* et *b* simul esse non sunt omnino precise et adequate idem intelligibile, immo positio unius infert non esse alterius. Sed non est distinctio in aliqua entitate incomplexa demonstrabili, igitur. Et per idem probatur quod non sufficeret ponere res respectivas inherentes absolutis, quia sit illa *d*, tunc non omnino idem significatur vel intelligitur per ista, *d* est in *a* et *a* est in *d* et *d* terminatur ad *b*, et e converso *b* terminatur ad *d*, et tamen omnino et precise eadem res demonstrantur hic inde. Confirmatur: *a* intelligibile quod de novo ponitur actualiter in re extra vel tollitur nulla entitate incomplexa absolute demonstrabili posita noviter vel remota est intelligibile distinctum ab omni huiusmodi entitate. Sed *a* esse in *b* vel *a* sic se habere ad *b* est huiusmodi. Unde, non universaliter nisi novitas et inchoatio vel desitio alicuius intelligibilis complexa significabilis. Confirmatur: ego et tu habemus istas apprehensiones complexas “*a* est supra *b* et *a* est sub *b*”. Sed ego velim *a* esse supra *b* et tu velis *a* esse sub *b*, tunc sic tam *a* quam *b* non est magis [286b] volitum a me quam a te. Sed *a* esse supra *b* est magis volitum a me quam a te, immo est volitum a me non a te, et est per se obiectum volitionis mee non tue, igitur *a* esse supra *b*, nec est *a* nec *b*, nec ambo simul. Eodem modo arguitur de hoc quod est *a* esse sub *b*. Unde, arguitur omne intelligibile apprehensum a me obiective est similiter apprehensum a te et e contra. Sed ego et tu non volumus omnino idem, immo quod ego volo et amo tu non vis et odis, et ea que volumus repugnat et impediunt se et interimunt. Quero, igitur, quid sit illud obiective volitum a me, quod non est volitum a te, licet sit apprehensum a te illud non est *a* vel *b*, nec precise ambo simul sumpta, quia tam *a* quam *b* non est obiectum volitionis magis unius quam alterius. Et in istis obiectis communicant ambe volitiones, igitur est quoddam intelligibile tantum complexa conceptibile. Si dicitur ad aliqua istorum quod illud intelligibile est determinatum compositum ex *b* loco et *a* locato. Contra, aut intelligibile quod est totale et adequatum significatum huius quod dico compositum ex locato et loco est omnino precise et adequate hec due res, aut est entitas tertia una resultans ex *a* et *b*, aut est alterum intelligibile. Si primum revertuntur et stant media supraposita. Si tertium habetur propositum. Si secundum contra: ex illis non sit per se unum magis quam ex lapidibus in cumulo vel quam ex omnibus corporibus mundi. Item, *a* esse in *b* loco variatur et multiplicatur numeraliter illo composito non multiplicato numeraliter. Probo, quia si idem corpus pluries revertatur ad eundem locum fiet idem compositum numero, quia eadem partes eodem modo unite, alioquin ex eadem anima et eodem corpore non posset Deus suscitare idem compositum

quod prius fuerat. Sed *a* esse in *b* loco non est idem quod prius. Probo, quia hoc est per se terminus ad quem et mutatum esse. Sed idem numero mutatum esse non revertitur, quia idem motus vel eadem mutatio non potest naturaliter reverti sicut nec idem istas, et quia terminus ad quem prioritati motus corrumpitur post recessum corporum a loco, ergo non revertitur naturaliter idem terminus.

Tertio principaliter, iste consequentie sunt necessarie: ‘causa est, ergo causatum est’ vel ‘pater est, ergo filius est’, vel ‘duplum est, ergo dimidium est’. Tunc sic: in istis consequentiis, ex esse et positione cuiusdam intelligibilis significati per antecedens infertur significative positio et esse cuiusdam intelligibilis significati per consequens. Sed non alicuius rei vel rerum incomplexae nominaliter et absolute demonstrabilium, ergo vel sic: in istis consequentiis significatur connexio et concomitantia seu coexistentia necessaria cuiusdam intelligibilis significati per consequens ad quoddam intelligibile significatum per antecedens. Sed non cuiuscumque entitatis vel entitatum incomplexae absolute demonstrabilium, igitur vel sic: quoddam intelligibile significatum per antecedens non potest poni qui ponatur quoddam intelligibile distinctum significatum per consequens, sed non quecumque entitas etc., igitur. Secunda pars antecedentium probatur et supponitur quod causalitas vel paternitas vel duplicitas non sunt forme accidentales respective inherentes absolutis, et sit *a* nomen proprium absolutum illius rei que est causa, et *b* nomen proprium eius quod est causatum. Tunc sic: si intelligibile quod accipio et significo poni et esse in antecedente et ex cuius esse infero significative causatum esse, sit huiusmodi entitas vel entitates, aut igitur est res que est ipsa propositio. Antecedens aut est precise et adequate res que sit *a*, aut est hee due res que sunt *a* et *b*. Si primum, contra. Tum quia illud intelligibile quod significo esse et poni non est aliquid factum ab anima. Sed per antecedens significo causam esse extra animam independenter ab anima. Tum quia ad positionem et esse propositionis que est antecedens non sequitur necessario positio et esse propositio positionis que est consequens, quia una potest formari absque alia sive in voce sive in anima. Dices illud quod accipis et significo esse in antecedente est hac propositione esse vera. Et ad hoc [287a] sequitur consequens esse verum. Contra: tum quia formato antecedente possibile est consequens non esse et non formari, igitur non esse verum; tum quia ad hanc esse veram non sequitur illam esse veram, nisi quia ad positionem significati, per hanc sequitur positio significati per illam. Et quia impossibile est sic esse in re sicut significatur per hanc qui ita sit in re sicut significatur per illam, ergo prius causaliter est connexio necessaria

intelligibilium significatorum et prius est consequentia inter propositiones ex actibus rectis significantibus directe res extra et supponentibus pro rebus extra quam inter propositiones ex actibus reflexivis significantibus actum anime. Tum quia illud quod accipio esse per antecedens poneretur in re circumscripto actu anime. Si detur secundum, principale secundum quod illud sit precise et adequate idem quod *a*. Contra: quia pari ratione illud cuius esse accipitur et infertur significative in consequente esse tantum hec res absoluta, que est *b*, igitur per illam consequentiam infero ex esse ipsius *a*, esse ipsius *b*. Sed hec consequentia non est necessaria, quia ex esse unius rei non sequitur necessario esse alterius rei causate totaliter distincte. Dices: non infero simpliciter et absolute ex esse unius rei esse alterius rei totaliter distincte. Sed ex esse unius rei significate et accepte relative et in habitudine ad aliam rem infero esse alterius rei significate et accepte relative. Causa enim connotat et in obliquo consignificat *b* causatum et significat *a* in habitudine ad *b*. Contra: aut *b* quod dicis connotari et in obliquo consignificari nomine cause, sic coaccipitur et cointelligitur in isto antecedente. Causa est, quia subiectum stat pro ipso *b* respectu huius predicati est, et accipitur et significatur esse per illud antecedens aut non. Si primum, inciditur in tertium membrum quod infra improbatur. Si secundum stat ratio precedens.

Item, non sequitur *a* est, ergo *b* est, et tamen sequitur causa est, ergo causatum est, aut igitur hoc est propter alietatem signorum precise aut propter alietatem in obiectis intelligibilibus significatis. Si secundum, propositum. Si primum, ergo si una consequentia non valet, nec alia sumptis propositionibus et terminis precise personaliter et significative pro suis significatis, idem erit enim significatum antecedentis utriusque pro quo verificatur et accipitur illud antecedens et de consequente utriusque similiter. Si vero detur tertium, quod intelligibile significatum et acceptum esse per illud antecedens sit hee due res simul *a* et *b*. Contra multipliciter primo, quia pari ratione in consequente significo et accipio illas duas res esse, igitur ex non esse unius obiecti intelligibilis vel unius rei infero esse alterius rei et alterius intelligibile. Sed ex esse duarum rerum infero precise esse earundem rerum et illa consequentia equivalet isti hee due res sit igitur hee due res sit. Et ultra non ex esse cause, infero esse causati, sed ex esse cause et causati infero esse cause et causati. Aggregatum enim ex utroque non est causa.

Item, pro eodem supponit li ‘causa’ in istis. Causa est et causa est prior causato vel producit causatum. Sed per istas non significo illas duas res producere vel esse priores causato, igitur.

Item, sicut sequitur causa est, igitur causatum est.

Item, sequitur causa est, igitur aliquid posterius totaliter distinctum a causa est.

Item, si in ista causa est, subiectum supponit tam pro eo quod est causa quam pro eo quod est causatum, igitur omne predicatum personaliter dictum de causa verificatur de causato. Et de quo verificatur causa, verificetur causatum. Et pari ratione in omni propositione in qua ponitur terminus cause stabit pro utroque quod est falsum dicendo causa prima est unica et simplex, et quia pari ratione de omni termino relativo.

Item, hec posset esse vera, tantum causa est nec inferret contradictorium nec inferret causatum non esse.

Item, si in illo antecedente significatur et accipitur causatum esse hoc maxime videtur, quia subiectum antecedentis significat illud quod est causa non absolute [287b] sed in habitudine ad *b*. Sed ex hoc non sequitur quod accipiam *b* esse, quia non sequitur combustivum est, ergo combustibile est vel pars motus prior est ergo posterior vel intellectio lapidis est, ergo lapis est. Ex predictis ergo videtur quod in hiis consequentiis ex uno intelligibili significabili complexe infertur personaliter et significative quoddam intelligibile distinctum significabile complexe.

Quarto principaliter, hec propositio ex rectis ‘asinus est homo’ et hec propositio ex obliquis ‘asinus est hominis’. vel ‘servus est dominus’, et ‘servus est domini’ non omnino et precise et adequate idem intelligibile significant. Sed aliquod intelligibile significatur per unam quod non per aliam. Non autem aliqua entitas incomplexe significabilis patet inducendo, igitur. Prima pars antecedentis probatur, quia si omnino et adequate idem significant et important, igitur si una est vera et altera, nec valet dicere, quia aliter et aliter significatur, quia si non sit alietas formaliter ex parte significati. Sed tantum ex parte signorum cum omnimoda identitate significati, ergo si totale et adequatum significatum unius ponitur in re, et alterius et eo modo ponitur in re significatum huius sicut ponitur significatum illius, igitur si ita est in re, sicut ista significat et sicut alia, igitur si una est vera et altera, quia ab eo quod res est etc. Eodem modo

posset argui de propositionibus ex terminis concretis et de propositionibus ex terminis abstractis correspondentibus, ut corpus est album, corpus est albedo.

Quinto, principaliter aliquid est melius et intelligibilius ipso *a* et non per aliquod ens incomplexe significabile quod sit melius alio ente incomplexe intelligibili, igitur per aliquod intelligibile tantum complexe. Antecedens probatur, quia possibile est quod melius et eligibilius sit accipere et habere primo *a* et secundo *b* quam habere et accipere primo *b* et secundo *a*, quia unum potest esse preceptum vel consultum et alterum esse prohibitum vel dissuasum et tamen non est melius per aliquam rem incomplexe absolute demonstrabilem, quia nulla entitas continetur in istis sic habitis et acceptis, quin contineatur in illis alio ordine acceptis et habitis et quia in casu isto accidens et impertinens est quod *a* sit melius quam *b* vel econtra, igitur illud quod est melius et eligibilius est complexe significabile. Dices hic ordo est eligibilior vel hec acceptio et habitio. Contra: vel intelligibile quod est iste ordo, et quod importatur nomine ordinis est precise he due res vel altera illarum tantum vel alterum intelligibile a rebus incomplexe significabilibus. Si tertium, propositum. Si secundum, contra: non enim est maior ratio quod sit *a* quam *b*, et quia contingit quod hee res non sit melior illa vel quod indifferenter prima sit melior quam secunda vel econtra. Eodem modo videtur quod melius et eligibilius est *a* durare per tres dies, quam *a* durare minori duratione, tamen nulla entitas incomplexe significabilis est ex una parte melior quam ex alia. Ad primum negatur secunda pars antecedentis. Ad probationem, si queritur que sunt omnia intelligibilia significata per hoc dictum vitam beatam et immortalem Petri esse, dico quod sunt infinita. Si queritur de intelligibili significato per subiectum pro quo supponit subiectum, aut quid sit illud intelligibile quod est vitam mortalem Petri esse, dico quod est hec fruitio et hec visio Petri vel hoc compositum ex hoc Petro et illis. Et cum dicitur possibile est quod sit verum has res esse et non sit verum vitam immortalem Petri esse, concedo: nec ex hoc sequitur quod vitam immortalem Petri esse non sit has res esse et econtra. Sic possibile est verum esse quod he res sunt et tamen falsum sit hee res eterne sunt, quamvis de facto sit verum quod he res sint hee res eterne. Solum igitur sequitur quod possibile est has res non esse vitam immortalem Petri. Sicut enim contingens est has res durare eternaliter, ita contingens est eas esse vitam immortalem Petri. [288a]

Ad confirmationem, videtur probare distinctionem intelligibilium incomplexe significabilium pro quibus supponunt extrema illarum propositionum, igitur potest dici quod si

per consequens intelligitur quod ex esse intelligibilium significatorum per antecedens non sequitur esse intelligibilium significatorum per antecedens illis demonstratis uniformiter negatur consequentia. Si autem intelligitur illis demonstratis difformiter per antecedens et consequens negatur consequentia, quia in antecedente accipitur quasdam res esse simpliciter et absolute. In consequente autem accipitur illas res esse et semper fore. Ad aliam confirmationem. Si esse verificatur actu, nunc de *a, b, c* et non *d, e, g*, conceditur quod non sunt idem actu, nec sequitur quod sint intelligibilia distinctia, sed se habent ut intelligibile *a* et intelligibile *a* semper duraturum supposito quod *a* non semper erit. Cum autem additur quod necessario durare in eternum verificatur de *g*, conceditur in sensu compositionis, non tamen sequitur quod illud intelligibile quod est *g* durabit necessario in eternum, quia necessario durare potest verificari et falsificari de diversis subiectis supponentibus omnino pro eodem intelligibili aliter et aliter demonstrato, nec oportet quod sensus verus significet aliquod intelligibile, quon non significet sensus falsus nec econtra, vel quod subiectum propositionis vere supponat pro alio intelligibili quam subiectum propositionis false cum quadam modificatione, sufficit quod veritas unius exigat aliquod intelligibile fuisse vel fore pro aliquo tempore pro quo non exigat veritas alterius, ut *a* erit *a* eternum erit.

Ad aliam confirmationem, negatur secunda pars minoris. Ad probationem, hec propositio ‘vita immortalis potest deserere Petrum’ vera est in sensu divisionis et falsa in sensu compositionis, quia hec propositio est impossibilis ‘vita immortalis deserit Petrum’, sed ex hoc non sequitur quod aliquod intelligibile, significatur per istam quod non potest deserere Petrum, sed solum quod aliquod intelligibile significatur per istam quod impossibile est inesse Petro perpetuo, et simul deserere eum. Unde, iste rationes probant quod pro aliquo intelligibili incomplexo significabili supponunt subiecta. Ad secundum, principale negatur secunda pars antecedentis, quia si verum sit *a* esse in *b* loco, tunc *a* esse in *b* est ipsum *a* existens in *b*. Ad illa quibus probatur quod per hoc quod dico iste res sic se habentes significatur aliquod intelligibile quod non significatur per hoc quod dico iste res cum dicitur quod si *a* et *b* sunt iste res sic se habentes et non sunt iste res aliter se habentes, ergo he res sic se habentes, et he res aliter se habentes sunt distincta intelligibilia. Negatur consequentia. Accipio proprie distinctionem amborum intelligibilium terminative, sed eadem intelligibilia ut aliter et aliter se habentia, et si ita se habent, tunc sunt he res sic se habentes, et he res aliter se habentes nihil sunt, quia non

sunt aliter se habentes, sed quando essent aliter se habentes, tunc he res aliter se habentes erunt iste res.

Ad aliam confirmationem. Non sunt idem intelligibile proprie loquendo, nec distincta obiecta intelligibilia, nisi in similitudine et modo intelligendi, ut supra dictum est respondendo ad primum contra secundam conclusionem.

Ad aliam confirmationem, negatur minor, et non est novitas alicuius obiecti intelligibile proprie loquendo, sed est novitas secundum quam intelligibile aliquod sit noviter presens alicui intelligibili.

Ad aliam, hec propositio “*a* esse supra *b* est magis volitum a me quam a te” habet duplicem sensum. Unus est volitio mea magis est actus volendi conformis et correspondens isti apprehensioni *a* est supra *b* quam volitio tua et magis exigit ad sui impletio neque quod *a* sit supra *b* quam volitio tua, et sic conceditur. Et [288b] ex hoc non sequitur quod aliquod obiectum terminative intelligibile et volibile sit obiectum terminans volitionem meam et non tuam. Alius sensus est. Illud intelligibile quod est *a* esse supra *b* est obiectum volitionis mee, non tue vel magis quam tue, et sic negatur quia si verum sit de facto quod *a* sit supra *b*, tunc *a* esse supra *b* est obiectum utriusque volitionis in isto sensu. Si vero sit falsum, tunc falsum est in hoc sensu quod *a* esse supra *b* sit obiectum alicuius volitionis. Ad aliam probationem concedo quod non volumus idem, quia hec propositio importat non solum quod omne obiectum ad quod terminatur una volitio terminetur alia, sed etiam quod volitiones sunt conformes et conformiter correspondentes consimili apprehensioni complexe, et quod omne obiectum aliquo modo se habens quod esset conforme uni esset conforme alteri, et quod esset adimpletio unius esset adimpletio alterius. Et qualiter obiectum se habere exigeret una et alia, hec etiam propositio idem est volitum a me et a te habet duplicem sensum. Unus quod quidquid seu omne intelligibile, quod est obiectum volitionis huius et illius, et sic concedit. Alio modo quod sunt volitiones similes et conformes, et si ad huius volitionis impletionem exigitur et sufficit obiectum sic se habens exigitur et sufficit ad impletionem alterius et sic negatur.

Ad tertium principale querit pro quo intelligibili supponit subiectum in illis consequentiis. Dicendum igitur quod prima pars antecedentis potest habere triplicem sensum. Unus est quod illis consequentiis antecedens est ista propositio, quodcumque intelligibile

significatum per consequens est et ponitur, et sic negatur. Alius vero sensus est quod illud obiective intelligibile quod est esse et positio cuiusdam intelligibilis significati per antecedens est inferens, et quod esse et positio cuiusdam intelligibilis significati per consequens est illatum, et sic negatur quod inferrens et illatum sunt propositiones que sunt antecedens et consequens. Tertius sensus est quod esse et positio cuiusdam intelligibilis significatur et accipitur per antecedens significative non materialiter sumptum. Et consimiliter de consequente, et sic conceditur prima pars antecedentis et negatur secunda pars. Ad probationem dico quod illud intelligibile est illud intelligibile pro quo supponit subiectum antecedentis, scilicet causa et illud est res que est causa, et ita datur secundum membrum.

Ad improbationem, eque probat quod *a* non est causa et quod *b* non est causatum, quia *a* esse non infert *b* esse, et tamen causam esse infert causatum esse. Licet igitur *a* sit causa et *a* esse sit causam esse, tamen una consequentia valet, et non alia propter alietatem signorum determinatam, et cum dicitur quod ex esse unius rei absolute non sequitur esse alterius rei totaliter distincte in creaturis. Si intelligis quod hec consequentia non valet, hec res absoluta est, igitur illa alia est conceditur. Si vero, intelligis quod ex antecedente enuntians esse de aliquo termino supponente pro re absoluta et verificato pro esse rei absolute. Non sequitur consequens enuntians esse de termino supponente personaliter pro alia re totaliter distincta. Negatur vel si intelligis quod eo quod quadam res absoluta talis et taliter se habens est actu ens, non sequitur aliam rem esse vel esse huiusmodi, negatur. Ad primam improbationem responsionis ibi posite dicendum quod in illo antecedente non significatur, nec accipitur illa alia res esse proprie et per se et directe, sed tantum virtualiter et implicite et in consequente. Econtra, accipitur illa res esse explicite et directe *a* aut implicite et indirecte, nec sequitur quod illa consequentia sit similis vel equivalens isti he res sunt, ergo he res sunt.

Ad aliud dicendum quod est precise alietas signorum, sic quod nullum intelligibile obiectum significatur per unum quod non significetur per aliud, nec sequitur quod si una sit [289a] consequentia bona quod et alia, sed subiectum utriusque antecedentis supponat pro eadem re, potest tamen dici quod correspondet vel correspondere potest sic distinctio, vel non identitas ex parte significati, quia interdum aliquid significatur per unum signum quod non per aliud, nec universaliter quodcumque ens actu sic se habens qualiter se habens, requireretur et sufficeret ad veritatem unius antecedentis requireretur et sufficeret tunc ad veritatem alterius.

Nec universaliter pro quocumque intelligibili sufficienter verificatur unum verificatur tunc sufficienter alterum consequens.

Ad quartum, principale patet supra ex dictis ad tertium contra secundam conclusionem.

Ad quintum, negatur antecedens. Ad probationem, si hoc sit melius secundum bonitatem naturalem, oportet quod concomitetur vel consequatur aliquod bonum naturale maius, quod erit intelligibile ens significabile incomplexum. Si vero dicitur melius et eligibilius moraliter vel meritorie tunc electio vel volitio ex una parte est melior quam alia. Potest etiam dici quod iste res tali ordine facte vel habite sunt agenti vel habenti magis bone et eligibiles quam forent, si essent aliter facte vel habite, nec ex hoc sequitur quod aliquod intelligibile bonum sit melius quoddam alio obiecto intelligibili. Sed idem obiectum intelligibile sic ordinatum est magis eligibile homini quam eligibile foret idem intelligibile aliter ordinatum. Et istud aliter ordinatum non est nisi idem intelligibile actu vel potentia aliter ordinabile. Eodem modo *a* durare vel haberi a maiori duratione proprie non est magis bonum in se formaliter, sed est bonum maiori duratione extensive manens, et consequenter volitio et electio conformis et correspondens tali apprehensioni esset potior et preferenda. Non est igitur intelligibile melius formaliter intelligibili extra animam, quia nec Deo nec beatis accrescit maius bonum.

Quarta conclusio: in divinis Patrem gignere vel habere Filium non est aliquid obiective intelligibile distinctum ab omni persona divina et omni entitate incomplexum demonstrabili probatur, quia Patrem gignere est Patrem esse, sed Patrem esse est ipse Pater, et Filium esse est ipse Filius. Probo: illud est Filius vel Spiritus Sanctus quod eternaliter est a Patre originaliter. Sed Filium esse est huiusmodi, quia Filium esse distinguitur a Patre et datur a Patre. Pater enim dat Filio esse Filium, et quod sit Filius, patet primo Sententiarum distinctione 18, capitulo 3 probatur.

Item, quia sicut Filius ad Patrem, sic Filium esse ad Patrem esse. Sed Filius est a Patre, igitur.

Confirmatur. Si Patrem esse non sit Pater, nec Filium esse sit Filius, sequitur quod in divinis est duplex trinitas realis personarum divinarum, quia Patrem esse est suppositum divinum, quia est substantia incommunicabilis distincta realiter ab eo quod est Filium esse, et

communicans cum eo in aliquo essentiali, puta in hoc quod est Deum esse Patrem enim esse est Deum esse sicut Pater est Deus. Et secundum Magistrum, libro I Sententiarum, distinctione 23, capitulo 1, « Patri hoc est Deum esse quod personam esse. » Et Augustinus 7 De trinitate, 6, non aliud sed « omnino idem est Deum esse et personam esse et bonum esse et magnum esse », et libro 6 De trinitate capitibus 4 et 7.

Preterea, si Patrem gignere Filium sit huiusmodi intelligibile, aut igitur includit formaliter et intrinsece Patrem, aut non. Si secundum, igitur non est distinctivum Patris a Filio. Si primum, aut igitur precise Patrem, et ita est Pater, aut aliquid aliud, et quero de illo si sit aliquod ens incomplexe significabile etc.

Preterea, Deum esse est Deus, igitur Patrem vel Patrem esse gignentem est Pater. Antecedens, licet sit multipliciter probatum in superioribus, tamen quia ad hoc negandum necessari-[289b]-tatur positio adversariorum. Ideo, item probatur sic: Deum esse est substantia et non alia a Deo, igitur est Deus. Prima pars probatur, quia Deum esse est divinam substantiam esse, sed esse substantiam divinam est esse precise mere substantiale positivum, igitur est substantia.

Item, aut distinguuntur essentialiter a Deo Patre aut non. Si secundum, igitur est idem essentialiter Deo, igitur est essentialiter Deus. Si primum, ergo cum sit positivum actuale extra nihil, sequitur quod est essentialiter diversus a Deo, igitur plures essentie.

Item, quod positive et realiter ponitur solo Deo posito per suppositionem veram vel possibilem est Deus.

Item, solus Deus erat ab eterno, ex quo igitur Deum esse non ponebatur ab eterno ex quo non est Deus, nec includitur in Deo.

Item, quod presentialiter coexistit isti loco et est ei presens actualiter est Deus vel creatura vel includens creaturam. Sed Deum esse est huiusmodi, quia Deus coexistit presentialiter ubique et Deum esse non est absens vel remotum a Deo, quia inseparabiliter se concomitantur.

Contra hanc conclusionem resumitur instantia in superioribus posita ut arguatur contra rationes que possent dari. Arguitur igitur sic: Deus non est completum et adequatum obiectum apprehensionis complexe veridice et conformis iudicii quo iudicatur Deum esse vel esse bonum. Sed Deum esse est huiusmodi, quia intellectus iudicat Deum esse. Sed nihil est dicere quod intellectus iudicat Deum.

Item, Deum esse est obiectum cuiusdam certitudinis in me. Sed non Deum esse infinitum et omnipotentem, et econtra hoc est obiectum cuiusdam dubitationis et non illud, quia certus sum Deum esse et dubius ipsum esse infinitum et omnipotentem. Respondetur quod non sequitur distinctio, nisi secundum rationem. Contra quam impossibile est quod idem realiter sit album et non album, tam impossibile est quod idem realiter sit cognitum et non cognitum, vel sit obiectum iudicii et non sit obiectum iudicii, vel quod terminet et non terminet actum intellectus, quia hec non minus contradicunt et repugnant quam illa, nec minus videtur contra primum principium ponere hoc quam illud.

Item, si tollitur repugnantia contradictionis propter varietatem rationum et conceptuum, pari ratione dicetur quod propter varietatem signorum vocalium, quia significare naturaliter, vel ad placitum nihil facit ad maiorem vel minorem repugnantiam, et quia in diffinitione elenchi ponitur affirmatio et negatio eiusdem non tantum rei, sed rei et nominis, et ita dicetur quod non est repugnantia ‘Tullium currere’ et ‘Marcum non currere’.

Item, pari ratione dicetur quod non est repugnantia idem verificari de homine et falsificari de animali rationali et econtra, quia sufficit differentia rationis, nec valebit demonstratio aliqua.

Item, probo quod includitur repugnantia sic: quidquid est realiter idem ipsi *a*, est realiter ipsum *a*. Sed *a* esse *a* est realiter idem ipsi *a*, ergo est realiter ipsum *a*, igitur simpliciter et absolute est ipsum *a*. Tunc ultra *a* esse *a* est obiectum huius iudicii. Sed *a* est *a* esse *a*, igitur *a* est obiectum huius iudicii, et ex opposito sic *a* esse *a* est obiectum formaliter a te iudicatum. Sed *a* non est formaliter obiectum a te iudicatum, igitur *a* non est *a* esse *a*. Et potest formari syllogismus expository in terminis singularibus. Unde, secundum istam responsionem, nulla forma syllogistica valeret sive affirmativa, sive negativa, et nullus posset convinci per syllogismum super conclusione falsa, maxime in terminis actum intellectus vel voluntatis.

Probo, quia si sit syllogismus negativus, dicetur quod ex affirmatione medii de [290a] hoc et negatione eiusdem de altero non sequitur nisi distinctio rationis cum quo stabit quod hoc est realiter illud. Si vero sit syllogismus affirmativus, dicetur quod ex simplici veritate affirmationis et unionis extremorum in medio non sequitur unio extremorum, quia idem potest affirmari de aliquo, et negari de Deo quod est idem realiter cum illo, sicut in isto syllogismo ‘*a* cognoscitur, sed *a* est *a* esse *a*, igitur *a* esse *a* cognoscitur’.

Item, obiectum intelligibile quod secundum rationem distinguitur ab *a* habet aliquem conceptum in mente, quem non habet *a* vel econtra et eius est aliqua ratio in mente, que non est ipsius *a* vel econtra, sed *a* obiectum intelligibile extra animam non habet in anima aliquem conceptum vel rationem, quam non habeat *a* esse *a*. Sed ante omnem operationem intellectus *a* et *a* esse *a* sunt omnino idem. Probatur, quia si ante omnem operationem intellectus omni et tanta identitate est idem *a* et *a* esse *a*, quanta identitate est idem *a* ipsi *a*, igitur omnem actum quem causat *a* et ad quem movet *a*, pari ratione et *a* esse *a*, et quemcumque actum potest terminare *a*, potest terminare esse *a* intellectus nihil causabit vel formabit circa hoc, quin formet circa illud.

Confirmatur, si *a* et *b* ante operationem intellectus sunt tam idem, quam idem est *a* ipsi *a*, igitur prima intellectio que causabit respectu *a*, causabitur respectu *b* et econverso, igitur post illam intellectionem adhuc sunt idem ut prius, igitur si ulterius causetur alia intellectio, ipsa non minus erit huius quam illius, quia non precessit distinctio, et sic de omni conceptu consequenti.

Confirmatur: si *a* et *b* sunt omnino idem sine omni distinctione ante actum intellectus, quero quomodo per intellectum dicantur postea distingui secundum rationem. Non quia *a* et *b* sunt diverse rationes, quia rationes sunt in anima. Si quia circa hoc obiectum intellectus format diversas rationes et conceptus, tunc pari ratione verum est quod *a* distinguitur ab *a* secundum rationem, quia ipsius *a* et circa *a* sunt diverse rationes et conceptus, et *a* est obiectum similiter et aliter conceptum sicut *a* et *b*.

Item, circumscripto opere intellectus *a* terminavit actum intellectus, et *a* esse *a* non terminavit, vel *a* terminabit et *a* esse *a* non terminabit circumscripto opere intellectus, ita esset nunc sicut per istas significatur, igitur nunc est aliqua distinctio, vel non identitas inter *a* et *a* esse *a*, sed non rationis, quia nunc circumscribitur opus intellectus, sic igitur non videtur

sufficiens illa responsio, igitur aliter diceretur quod idem intelligibile obiective potest esse certum et non certum, sed dubium ut aliter et aliter apprehensum, et ut alia et alia apprehensione exhibitum et ostensum, quarum una causet assensum respectu alicuius obiecti, et alia non causat. Contra: hoc *a* est formaliter cognitum per *b* cognitionem incomplexam, sed hoc *a* esse *a* non est formaliter cognitum per cognitionem incomplexam, igitur hoc *a* esse *a* non est *a*.

Item, ‘hoc esse animal’ est obiectum formaliter cognitum per cognitionem que est certitudo vel causans certitudinem. Sed ‘hoc esse Socratem’ est ‘hoc esse animal’, igitur ‘hoc esse Socratem’ est obiectum formaliter cognitum per cognitionem que est certitudo vel causans certitudinem. Vel sic ‘hoc esse animal’ est formaliter tibi certum, ‘hoc esse hominem’ non est formaliter tibi certum, igitur ‘hoc esse hominem’ non est ‘hoc esse animal’. Premisse sunt simpliciter et absolute vere, igitur et conclusio.

Item, quod est apprehensum omni apprehensione qua *b* est apprehensum, et omni modo quo *b* est apprehensum est certum omni modo quo *b* est certum. Sed *a* est huiusmodi ex quod ante operationem intellectus nulla est omnino distinctio. Et quia arguitur sic *o* est sic apprehensum *a* est *b*, igitur *a* est sic apprehensum. Et ex opposito *b* est tali- **[290b]** -ter obiectum huius apprehensionis *a* non est taliter obiectum huius apprehensionis, igitur *a* non est *b*, igitur non est realiter ipsum *b*. Ideo, aliter dicendum quod *a* esse *a* est obiectum cognitionis cuius *a* est obiectum et *a* est obiectum iudicii cuius *a* esse *a* est obiectum. Et ‘hoc esse hominem’ est obiectum certitudinis cuius ‘hoc esse animal’ est obiectum, tamen non conceditur quod per illam cognitionem cognoscas *a* esse *a* per quam cognoscis *a* et quod iudices *a* vel ‘hoc esse hominem’ per illum actum quo iudicas ‘hoc esse animal’. Dicere enim quod cognoscis *a* esse *a* importat te habere apprehensionem complexam conformem tali propositioni. Dicere enim quod certus es ‘hoc esse hominem’ importat non solum quod illud intelligibile quod realiter est ‘hoc esse hominem’ sit obiectum tui actus, sed quod habes actum iudicandi conformem tali apprehensioni, ita quod refert preponere vel postponere terminum cognoscendi vel iudicandi termino experimenti obiectum iudicii vel cognitionis, ut dictum est in superioribus.

Contra: sicut in nobis, ita in Deo verum est quod Deus non iudicat Deum, sed iudicat Deum esse, licet cognoscat Deum et Deum esse. Similiter, Deus non iudicat *a*, sed iudicat *a* esse, vel *a* fuisse, vel fore, licet quodlibet istorum cognoscat, igitur vel Deus et Deum esse

distinguuntur vel aliter et aliter a Deo cognoscuntur, non secundum, quia in cognitione divina non est alietas, igitur.

Secundo, videtur falsum quod cognoscere ‘hoc esse animal’ importat haberi conceptus correspondentes istis terminis ‘esse’, ‘animal’, et quibus subordinantur huiusmodi termini. Probo primo, quia Deus cognoscit ‘hoc esse Socratem’ et ‘hoc esse hominem’ et ‘hoc esse animal’, et tamen non habet conceptus correspondentes et conformes in significando illis terminis, quia illi conceptus sunt apprehensiones magis et minus communes et confuse, et que sunt ordinate secundum superius et inferius. Secundo, quia hec consequentia non valeret. Cognosco omne animal, igitur cognosco equum vel asinum, quia non sequitur habes conceptum et apprehensionem correspondentem istis terminis ‘omne’, ‘animal’, igitur habes conceptus correspondentes istis terminis ‘equum’ vel ‘asinum’. Similiter, hec consequentia non valeret: ‘Cognoscis Socratem, igitur cognoscis hominem’. Consequens est falsum, tum quia sequitur: ‘Diligis Socratem, igitur diligis hominem’, tum quia sequitur: ‘Vides vel tangis Socratem, igitur vides vel tangis hominem’, igitur cognoscis hominem, quia visio est cognitio. Similiter, non sequeretur: ‘Hominem cognosco, igitur cognosco hominem’ vel “Deum cogito, ergo cogito Deum”. Similiter, non sequeretur: “Cognosco Socratem et cognosco Platonem, igitur cognosco duos homines”, quia non sequitur quod habeam duos conceptus correspondentes tali predicato. Consequens est falsum, quia sequitur: ‘Diligo Socratem et diligo Platonem, igitur diligo duos homines’. Unde, non sequeretur: ‘Cognoscis et diligis Socratem, igitur cognoscis et diligis aliquem hominem’.

Tertio principaliter contra responsionem, videtur quod nihil refert preponere vel postponere terminum cognoscendi vel iudicandi, dicto vel termino significanti obiectum cognitionis et iudicii, et si ‘hoc esse hominem’ est certum et iudicatum a te quod tibi sit certum et a te iudicatum’ hoc esse hominem’. Probo: tu cognoscis et iudicas quidquid cognoscitur et iudicatur a te. Sed ‘hoc esse hominem’ cognoscitur et iudicatur a te, igitur tu cognoscis et iudicas ‘hoc esse hominem’. Minor conceditur a te, quia dictum proportionatur verbo cognoscendi et iudicandi. Vel sic: tu cognoscis et iudicas illud quod est per se obiectum formaliter tue cognitionis et iudicii, et quod formaliter exhibetur et representatur obiective per tuam cognitionem et iudicium. Hoc enim sufficit ad hoc quod cognoscas illud, immo non videtur aliud cognoscere quam il- [291a] –lud representari obiective per actum. Sed hoc esse hominem est

huiusmodi, igitur. Confirmatur: ‘hoc esse Socratem’ est cognitum et iudicatum a te, igitur cognitum et iudicatum a te est ‘hoc esse Socratem’, ergo tu cognoscis et iudicas ‘hoc esse Socratem’. Primum antecedens conceditur a te, quia dictum preponitur verbo cognoscendi et iudicandi. Prima autem consequentia patet per conversionem convenientem. Secunda consequentia patet secundum te, quia in primo consequente verbum cognoscendi precedit dictum.

Ad primum, cum dicitur quod ‘Deus non iudicat Deum, accipiendo iudicare non pro condemnare vel iustificare, sed pro assentire intellectualiter’, non iudicare Deum potest intelligi quod Deus non sit per se obiectum iudicii divini, nec est illud quod Deus iudicat per iudicium, quo iudicat Deum esse, et sic negatur vel potest intelligi quod intellectio divina non est iudicium, quatenus est precise cognitio Dei incomplexa formaliter et equivalenter seu ut tantum equivalentens apprehensioni incomplexe nominali non veridice, et sic conceditur, immo ipsa est iudicium quatenus ipse est formaliter vel equivalenter et eminenter apprehensio complexa veridica, et ut eminenter equivalentens complexioni ex nomine et verbo. In secundo autem sensu videtur accipi communiter illa propositio ‘Deus non iudicat Deum’, nec convenienter dicitur quod Deus iudicat Deum, quia secundum communem acceptionem denotaretur quod ad iudicandum sufficit apprehensio incomplexa tam formaliter, quam equivalenter, et quod divina apprehensio est iudicium quatenus apprehensio incomplexa nominalis, et si esset precise incomplexa nominalis adhuc sufficeret ut esset iudicium, quod est falsum. Ideo verbum iudicandi non convenienter nec sufficienter determinatur et specificatur per solum terminum incomplexum nominalem significantem obiectum iudicii. Negatur igitur consequentia illa de consequente disiuncto.

Ad secundum, conceditur quod Deum cogitare ‘hoc esse Socratem hominem animal’ etc. non est Deum habere formaliter conceptus conformes in significando illis terminis quales conceptus nos habemus. Sed hoc est Deum habere huiusmodi conceptus vel apprehensionem eminenter equivalentem talibus nostris apprehensionibus equivalentem inquam quoad exhibendum et representandum quoad affirmandum et negandum, et quoad etiam iudicandum circumscripta omni imperfectione, sicut Deum scire demonstrative ‘omnem triangulum habere tres’ non est Deum habere formaliter syllogismum demonstrativum compositum ex premissis et conclusione, sicut in nobis. Sed est Deum habere apprehensionem eminenter continentem apprehensiones et syllogismos quoad omnem conditionem cognoscendi que non includit

imperfectionem. Ad aliam probationem assumpti. Illa consequentia de forma non valet, sicut non sequitur “Scis omnem triangulum habere tres, igitur scis hunc triangulum habere tres” primo Posteriorum. Vel propter sensus in quo potest accipi ab aliquibus posset hec propositio distingui ‘cognosco omne animal’. Unus sensus est habeo conceptum correspondentem huic termino ‘omne animal’, vel quod de quolibet animali secundum numerum vel secundum speciem habeo cognitionem propriam et distinctam actu vel habitu. Similiter, hec propositio ‘ego cognosco equum’ potest distingui vel quod habeo talem conceptum correspondentem tali termino, vel quod habeo cognitionem alicuius quod est equus, quoad secundam consequentiam illa valet, quia cognoscens Socratem cognoscit implicite, et in potentia accidentali ‘hoc esse hominem’ et consimiliter de aliis consequentiis.

Ad tertium, discursus non valet nec est forma syl- [291b] -logistica. Ad confirmationem negatur secunda consequentia, quia dictum non ponitur post verbum cognoscendi ex eodem extremo propositionis tamquam determinatio illius. Ex his patet responsio ad sophisma quo probatur quod hee sunt simul vere ‘hunc hominem diligis’, ‘hunc hominem non diligis’ demonstrato Platone quem credis esse Socratem et posito quod Socratem diligas et odias Platonem sicut non refert preponere vel posponere terminis cognoscendi termino obiecti, ita et de termino diligendi. Et sicut variis signis exterioribus correspondent varii actus intellectus, ita et voluntatis. Ad argumentum in principio questionis negatur antecedens. Ad probationem, dictum est in prologo.